

Visual Library Portal

Digitalisierung von Drucken des 18. Jahrhunderts

**Appendix, quae continet Dissertationes inaugurales,
passim auctas, et sistentes acta apostoli Pauli
chronologice digesta**

Moldenhawer, Johann Heinrich Daniel

Regiomonti, 1744

urn:nbn:de:s2w-2749

APPENDIX,

QUÆ

CONTINET

DISSERTATIONES
INAUGURALES,

PASSIM AVCTAS,

ET

SISTENTES

ACTA APOSTOLI PAVLI
CHRONOLOGICE DIGESTA.

APPENDIX

OF

CONTENTS

DISSERTATIONES

IN AVARALLES

IN AVARALLES

IN AVARALLES

ACTA APOSTOLICA

CHRONOLOGICE DIGESTA

Quam arduum & difficile sit opus, chronologiam actorum apostoli Pauli, & quidem talem, quæ rationibus se commendat, & animis aliorum se insinuat, contexere, ad unum omnes & experti & testati sunt, qui huic negotio conficiendo operam navarunt unquam. Nam Lucas ne quicquam monet de tempore, quod mortem JESV CHRISTI vicariam, conversionemque apostoli Pauli intercessit, & silentio præterit annum, & illum, quo concilium Hierosolymitanum habitum est, & eum, quo Porcius Festus Felici successit, & quamvis SVETONIVS, TACITVS, & præcipue DIO res Romanorum, & JOSEPHVS res Judæorum satis accurate describant, ne ullus tamen illorum difertis verbis refert, quo anno Neronis imperatoris, five quibus consulibus Felix Porcium Festum successorem nactus sit. Cumque ab anno conversionis Pauli, Synodi Hierosolymæ habitæ, & adventus Porcii Festi in Judæam dependeat chronologia actorum apostoli Pauli, non aliter fieri potuit, quin illa magnis prematur difficultatibus, & has eruditorum plurimi, ut fieri solet, non imminuerunt, sed auxerunt. Nam de annis, quibus æra vulgaris æra vera brevior est, de anno, quo Jesus in crucem actus & Paulus conversus est, de tempore, quo concilium Hierosolymitanum habitum est, de anno, quo Porcius Festus Felici successit, de sensu commatis primi capituli secundæ epistolæ ad Galatas, & de anno, quo Paulus capite plexus est, tanta inter illos intercedit disceptatio, quanta fere in alia re nulla, & proinde tam diversas actorum Pauli nobis ob oculos posuerunt chronologias, ut, si hanc illamque consulimus, anticipites hæreamus, quænam reliquis sit præferenda. Ut dictis fidem faciam, provoco ad ea, quæ vir celeberrimus, CAR. GOTL. HOFFMANNVS in introductione in lectionem Novi Testamenti Pritiana,

quam

quam locupletiolem anno 1737. edidit, quamque AVCTORES sic dictarum *innocuarum relationum* summis ornarunt laudibus, de se ipso refert. Nam p. m. 245. *Difficillimam, inquit, aggredior questionem de anno conversionis S. Pauli, de quo adeo diversæ eruditorum sententiæ exstant, ut merito tritum illud proverbium cogites, quot capita, tot sensus. Fateor, me plures dies (ne dicam menses) in investiganda epocha hac consumsisse, ut vel aliquo modo cognoscerem, a cujus partibus veritas maxime stare videatur. Sed nunc huic, nunc illi sententiæ adhærebam, undiquaque variis difficultatibus impeditus. Idem profecto mihi quoque accidisset, si eidem, quam celeberrimus Hoffmannus ingressus est viam, me commissem, verum tutiorem, ut opinor, elegi. Nimirum, cum mihi jam annus, quo Herodes M. diem suum obiit, constaret, inquisivi in discrepantiam æræ vulgaris, sive Dionysianæ ab æra vera, & in annum æræ vulgaris, quo Jesus Christus in crucem est actus. His cognitis operam dedi, ut ex scriptis JOSEPHI eruerem, quo anno æræ vulgaris Agrippa, Herodis M. ex Aristobulo nepos, qui Jacobum, Johannis fratrem, morti tradidit, periit. Deinde sollicitus fui de anno, quo Porcius Festus Felici successit, illumque ex scriptis Josephi & Taciti determinare studui. Tandem inquisivi in sensum commatis primi capituli secundi epistolæ Pauli ad Galatas, & postremo ex scriptis EVSEBII, HIERONYMI, CASSIODORI & CHRYSOSTOMI collegi annum, quo Paulus martyrium fecit. Hisque peractis, annos intermedios, ratione habita & regionum, quas Paulus evangelii luce collustravit, & temporis, quod hic & illic transegit, digessi. Hæc est methodus, qua usus sum in contexenda chronologia actorum apostoli Pauli, cumque nihil precario assumserim, spero, hanc chronologiam iis se probaturam esse, qui præconceptis opinionibus non sunt occupati,*

pati, & animum habent liberum ab ea indole, quæ omne, quod ab aliis profectum est, temere rejicit.

Quemadmodum autem acta apostoli Pauli chronologicè digerere, res est longe difficillima, ita quoque hæc chronologia magna se commendat utilitate. Nam

(1) Nos erudit, quod Paulus demum anno XV. post suam conversionem gentes adierit, siquidem anno æræ vulgaris XXXIII. ad fidem in Jesum perductus est, & anno æræ vulgaris XLVIII. cum Barnaba gentibus evangelium prædicare incepit, quod argumento est certissimo, quam diu DEVS Paulum ad hoc quam maxime arduum negotium præparaverit, & quod Paulus nihil egerit, nisi antea de voluntate divina certior factus. Deus eum constituerat apostolum gentium, Jesus Christus ipsi dixerat, pronuntiante Paulo ipso Act. XXVI. 17. 18. *Eripiam te ex gentibus, ad quæ te nunc mitto, ut aperias oculos illarum, & convertas eas a tenebris ad lucem, a potestate Satane ad Deum.* Verum Paulus hoc munus non prius subiit, quam sibi per revelationem specialem, quæ aliis obtigit, a Deo demandatum est, & proinde ea præditus fuit indole, quam Jesus discipulis suis commendavit Luc. XII. 35. 36. *dicens: Sint lumbi vestri præcincti, & vestræ lucernæ accensæ, & similes estote vos iis, qui expectant, quando dominus suus regressurus sit a nuptiis, ut, quum venerit ac pulsaverit, statim aperiant ei.*

(2) Nos docet, quod prius quidam de grege Christianorum gravissimas in ecclesia Christiana excitaverint turbas, quam a morte vicaria Jesu Christi viginti anni sunt præterlapsi. Nam concilium Hierosolymitanum habitum est anno æræ vulg. XLVII.

&

& proinde anno decimo septimo post mortem Jesu Christi, & eodem illo tempore sat multi circumcisionem a gentibus in Jesum credentibus ad salutem consequendam necessario suscipiendam urserunt, adeo, ut apostoli in unum congregati necesse habuerint, decreto quodam univerali conatibus illorum obicem ponere. Unicuique constat, quod ii, qui sacris Romano-Catholicæ ecclesiæ addicti sunt, etiam ex eo demonstrare annitantur, ecclesiam evangelicam, sive sic dictam Lutheranam, non esse veram ecclesiam, quia in illa ante & post mortem Lutheri gravissimi suborti sint motus; quod quam absurdum sit, ex dictis liquet, siquidem ex eodem argumento demonstrare possem, ecclesiam Christianam universam non esse veram ecclesiam.

(3) Documento est certissimo, quanto amore in Jesum, & quanto ardore homines ad fidem in Jesum perducere, Paulus flagraverit, & quantum indefessum studium in hoc omnium excellentissimo negotio collocaverit. Nam intra annos IV. regiones, quarum longitudo se circiter ad quadringenta & quinquaginta milliaria extendit, & intra II. annos terras, quarum longitudo se ad ducenta milliaria protendit, evangelii luce collustravit.

(4) Nos conducet, quantum temporis effluerit inter ecclesias a Paulo plantatas, & inter epistolas, quas ad illas misit, & quod ea, quæ Paulus Gal. II. 1. sqq. enarrat, illustrari possint & debeant ex cap. XV. Actorum, siquidem iter Hierosolymitanum, cujus Paulus Gal. II meminit, idem illud est, quod a Luca cap. XV. Act. describitur.

(5) Confirmat, quod omne incrementum spirituale dependeat a fidei bonorum spiritualium usu,
nam

nam quamvis Paulus Theſſalonicæ modo ſeptimanas III. Corinthi vero meſes octodecim ſubſtiterit, & quamvis epiſtola prior ad Theſſalonicenſes eodem, quo ad Chriſtum converſi ſunt, anno ſcripta ſit, epiſtola prior vero ad Corinthiacam eccleſiam anno VII. a plantatione illius facta, attamen ſtatus internus eccleſiæ Theſſalonicenſis multo egregior fuit ſtatu eccleſiæ Corinthiacæ.


(6) Nos docet, quod etiam ii, qui multos annos Jeſu Chriſto vera fide adhæſerant, verſutia falſorum doctorum fide, & proinde gratia divina reliquisque bonis ſpiritualibus privari poſſint. Nam Galatæ anno æræ vulgaris XLIX. Jeſu Chriſto nomen dederant, anno autem LVII. a pſevdapoſtolis decepti illum deſeruerunt, & quidem *Ἰαχeweς*, celerrime, ſive illico poſt adventum pſevdapoſtolorum. Quæcum ita ſint, noſtrarum, ſi Chriſtum ſuſcepimus, eſt partium, ut eo adnitamur, ut conſtanter Jeſu Chriſto uniti maneamus, quod proſecto negotium eſt non exigui laboris & difficultatis. Nam *non minor eſt virtus, quærere, quam parva tueri.*

(7) Demonſtrat, quod illi in errore verſentur, qui putant, naufragium a Paulo ad inſulam Melitam factum, unum eſſe ex illis, quæ Paulus 2 Cor. XI. enumerat, nam paſſus eſt Paulus naufragium illud anno IV. poſt ſcriptam epiſtolam poſtერიorem ad Corinthios.

(8) Extra omnem controverſiæ aleam ponit, Petrum neque anno ſecundo Imperatoris Claudii Romæ fuiſſe, neque in hac urbe annos XXV. ſubſtituiſſe.

Omnes fere Romano-Catholicæ religioni addicti doctores in ea sunt sententia, quod Petrus anno secundo Claudii Romam pervenerit, & quod ibi XXV. annos commoratus, ac officio episcopi functus sit. BARONIVS in *Annalibus suis* ad A. C. XLIV. N. XIII. *Omniū, inquit, testimonio certum exploratumque habetur, jam anno secundo ejusdem (Claudii) Augusti Petrum apostolorum principem venisse Romam.* Nescius sum, qui fieri potuit, ut vir in scriptis patrum versatissimus & exercitatissimus scribere non veritus sit: *Omniū testimonio certum exploratumque habetur, Petrum jam anno secundo Claudii Romam venisse.* Nam ne ullus doctorum, qui seculis IV. prioribus floruerunt, si HIERONYMVM & EVSEBIVM excipimus, cujus tamen Chronicon a Hieronymo latinitate donatum, & præcipue in romana historia hinc inde adeo interpolatum est. ut ancipites simus, quid Eusebii, quid Hieronymi sit, siquidem græcum exemplar, exceptis quibusdam fragmentis, ætatem non tulit, tradit, Petrum anno secundo Claudii Romam venisse. Quamvis vero solummodo Hieronymus, & forsitan quoque Eusebius, referat, Paulum anno secundo Claudii Romam intrasse, & ibidem annos XXV. substitisse, attamen tantum non omnes sacris Romano-Catholicæ ecclesiæ addicti cum Baronio in hac sunt sententia. Quod vero illa omni destituatur fundamento, ex chronologia actorum Apostoli Pauli liquet. Nam hæc chronologia primo nos conducet, Petrum anno III. Claudii, & quidem ante festum Paschatos Hierosolymæ fuisse, siquidem illo anno Paulus stipem collectam Hierosolymam detulit, & eodem tempore Petrus post festum Paschatos ex carcere, in quo detentus fuit, ab angelo Dei eductus est, & secundo chronologia actorum Pauli demonstrat, Petrum minime annos XXV. Romæ substitisse. Nam Petrus neque ante, neque post concilium Hierosolymitana

num XXV. annos Romæ transegit; *non ante Hierosolymitanum concilium*; nam hocce concilium, cui Petrus interfuit, habitum est anno æræ vulgaris XLVII. s. anno XVII. post mortem Jesu Christi, imo Petrus anno æræ vulgaris XLIII. s. anno XIII. post crucifixionem Jesu Christi Hierosolymæ fuit, & ante hoc tempus partim in Judæa, partim in Samaria degit; *neque post concilium Hierosolymitanum*, si enim illo habito Romam adiiisset, ibique XXV. annos hæssisset, usque in annum æræ vulgaris LXXII. vitam protraxisset, & proinde non sub Nerone, sed imperante Vespasiano martyrium fecisset; cum autem Petrus neque ante, neque post concilium Hierosolymitanum annos XXV. Romæ fuerit, liquido jam constat, sententiam sic dictorum Pontificiorum, qua statuunt, Petrum Romæ XXV. annos transegisse, omni destitui fundamento, & proinde rejiciendam esse.



DISSERTATIONES
 INAUGVRALES,
 HABITÆ REGIOMONTI,

ANNO MDCCXXXIII.

* * * * *

§. I.

Aera JESV CHRISTI vulgaris, five Dionysiana quinque annis brevior est æra Jesu Christi vera.

Jesus Christus natus est anno Varroniano urbis five Romæ conditæ 749. mense probabiliter Majo, vid. *Introd. in libros N. T.* p. 206. annus autem primus æræ vulgaris Jesu Christi respondet anno u. c. 754. vid. *Ill. CAMILLI Chronol.* edit. Lipsiæ 1726. p. 265. & proinde æra vulgaris Jesu Christi quinque annis brevior est æra Jesu Christi vera. Et in eadem sententia sunt hac nostra ætate eruditi tantum non omnes. PETR. ALLIX *Diatr.* p. 10. *Nullo, inquit, jam pene inter eruditos reclamante constat, æram vulgarem s. Dionysianam natalis Jesu Christi esse quinque annis, quam par fuit, brevior.*

Si quis itaque nosse cupiat annum æræ vulgaris anno u. c. respondentem, anno æræ vulgaris addat 753.

§. II.

§. II.

Jesus Christus anno æræ vulgaris XXVI. baptismum suscepit.

Postquam Lucas Ev. cap. III. v. 21. 22. baptismum a Jesu susceptum descripsit, statim subjungit v. 23 hæc notatu dignissima verba: Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἑλὼν τριακοντὰ ἀρχόμενος, quorum sensus est: *Et erat Jesus Christus ferme XXX. annorum, cum officio prophetico fungi cœpit.* Sunt, qui ἀρχόμενος referunt ad ἦν, quantum vero errent, egregie ostendit WILH. LANGIVS de annis Christi p. 363. *Quis unquam, inquit, talem græcismum audivit: ἀρχομαι ἑλὼν τριακοντὰ pro ἑλθὼς τριακοστῶ. Illud ergo ἑλὼν τριακοντὰ construitur cum ἦν, Ἔ non cum ἀρχόμενος, Neque idem est ἀρχομαι εἶναι ἑλὼν τριακοντὰ, Ἔ εἶμι ἀρχόμενος ἑλὼν τριακοντὰ. Illud græcum est, hoc minime. Quippe ἦν ἀρχομῶτος idem est, quod ἡρχέτο. Jam vero ineptum esset dicere: ἀρχεται ἑλὼν τριακοντὰ - - - (Addo: ἀρχομαι, si regit genitivum, omissa est præpositio ἐκ live ἀπο, e. g. ἀρχόμενος μελεῶν, incipio a membris, quæ præpositio quoque quandoque additur, e. g. ἀρχομαι ἐκ τῆς ἀρχῆς, ex hoc principio. Quis vero dicet: incipio ab annis triginta? e contrario optime: initium facio anni trigelimi. Et si proinde Lucas innuere voluisset: Jesum incepisse annum trigelimum, scripsisset ἦν ἀρχόμενος εἰς τριακοστῶ, sive ἀρχόμενος εἰς τριακοστῶ, ad formam ἀρχομένης ἀπο νυκτός, prima de nocte). Melior est sententia Justini, Origenis & Euthymii, qui vocem hanc ad initium ministerii Jesu Christi referunt. Sane ipse Lucas alibi hanc explicationem proponere videtur, ubi de Christo ita disserit: ἀρχόμενος*

απο τῆ βαπτισμαίος Ιωαννης Act. I. 22. Ἐ cap. X. 37. αῤζαμενος απο Ἰησ γαλιλαιας μεῖα Ἰο βαπτισμα. *Utrobique absolute vox αῤζαμενος posita est, Ἐ utrobique subintelligenda est vox διακονιας, ut sit αῤζαμενος Ἰησ διακονιαν.* Quemadmodum autem eruditi, quod ad explicationem hujus phraseos attinet, in diversas abeunt partes, ita quoque magna illos intercedit disceptatio de sensu vocis ωσει. vid. JOH. CHRIST. WOLFFII *Not. Philol. Crit.* ad Luc. III. 23. Nullus autem dubito, particulam ωσει, numero aut mensuræ additam, si non παρελκει s. abundat, e. g. Act. XIX. 7. & apud scriptores græcos ωσ αληθως, indicare, numero aut mensuræ, cujus mentio injicitur, aliquid deesse, & sensum proinde verborum Lucæ esse, *Jesum ministerii sui initium fecisse, cum ferme XXX. annorum exstiterit.* Verum enim vero Deus Johanni, teste Luca, Ev. c. III. 1. sqq. anno XV. Tiberii, & quidem ab assumpto illo. in consortium imperii, qui respondet anno u. c. 779. & anno æræ vulgaris XXVI. vid. *Introductionem in libros N. T.* p. 214. præconium pœnitentiæ & baptismi demandavit, & proinde, cum Jesus ante hunc annum baptismum non suscepit, vid. Luc III. 23. coll v. 1. sqq. neque post illum, siquidem initium anni trigesimi primi incidit in annum æræ vulgaris XXVI. quia æra vulgaris annis V. justo brevior est, (§. I.) liquido constat, Jesum Christum anno æræ vulgaris XXVI. sacro fonte tinctum esse.

Et si etiam concedamus, particulam ωσει a Luca usurpatam, denotare, Jesum jam annum XXX. egressum fuisse, tamen negari nequit, Jesum anno æræ vulgaris XXVI. baptismum suscepisse. Nam omnes, qui præconceptis opinionibus non sunt occupati, affirmant, illos huic particulæ vim inferre, qui putant, Jesum Christum tunc temporis triginta unum,

unum, aut duos, imo tres natum fuisse annos. Ac sane, si Jesus Christus anno trigesimo primo completo proximus fuisset, sive huic anno modo menses tres aut quatuor defuissent, Lucas scripsisset: Jesus erat ferme annorum XXXI.

Non nego, mortalium quosdam particula *cir- citer* quandoque illud indicare tempus, quod integris annis a vero differt tempore, sive, illa sic uti, ut nil certi præcipue designent, sed quod præter propter est. Cum autem hoc ex ignorantia illorum proficiscatur, & Lucas c. I. referat, se accurate scripsisse, s. se omnia a capite diligenter consecutum esse, & designet & annum natalem Jesu Christi, Luc. II. I. sqq. & tempus, quo baptizatus est, c. III. scriptorque θεοπνευστος sit, quis non videt, Lucæ hanc particulæ ωσείσ significationem minime tribuendam esse?

Afferta EPIPHANIVS egregie confirmat, nam *Hæres. LI. N. XXIV. edit. DIONYSII PETAVII Col. 1682. p. m. 446. Jesus Christus, inquit, omnes, quos supra recensuimus, XXIX. integros consulatus percurrit, sub tricesimo deinde consulatu - - - ad Johannem accessit. Idem faciunt HIERONYMVS Comment. in Ezech. c. I. Opp. T. V. p. 315. & ORIGENES Homil. XXVIII. in Evang. Lucæ T. II. Opp. p. m. 238.*

§. III.

Jesus Christus anno æræ vulgaris XXX. in crucem actus est.

Sacræ Pandectæ nos edocent, Jesum Christum post baptismum susceptum quater festum Paschatos celebrasse, & quarto festo Paschatos cruci adfixum esse. Vid. Joh. II. 13. V. 1. (coll. IV. 35. & Matth. XXVII. 15.) Joh. VI. 4. (coll. VII. 1.) XIII. 1. (coll. XIX.) Quod autem primum ex his Paschatos

festum incidat in annum æræ vulgaris sequentem, postquam sacro fonte tinctus, ministerium suum auspiciatus est, variæ svadent rationes. Nam (1) Pilatus in Judæam venit anno æræ vulgaris XXVI. vid. *Introductionem in libros N. T.* p. 214. (2) Johannes, cum Pilatus jam Judææ præesset, a Deo vocatus est ad præconium pœnitentiæ & baptismi. Luc. III. 1. sqq. (3) Servator noster, relicta Galilæa, petiit Judæam, ac adiit Johannem, postquam ad illum jam venerant incolæ Hierosolymorum, Judææ & totius regionis, quam alluit fluvius Jordan. Matth. III. 13. coll. v. 5. Tinctus sacro fonte, in desertum a Spiritu Sancto deductus est, tentatus a diabolo dies XL. Matth. IV. 1-3. Diabolo victo ex deserto ad Johannem rediit, & nuptiis Canæ celebratis interfuit. Joh. I. 28-II. 1-II. Imo Capernaum descendit, & in scholis Galilæorum evangelium prædicavit, Joh. II. 12. Luc. IV. 14. 15. ac Galilæa peragrata prope fuit Pascha Judæorum. Joh. II. 13. Quis vero crederet, hæc inter adventum Pilati & festum Paschatos, eodem illo anno, quo Jesus Christus baptizatus est, accidisse? Quæ cum ita sint, Jesus post baptismum susceptum anno æræ vulgaris XXVII. primum, anno XXVIII. secundum, anno XXIX. tertium, & anno XXX. quartum celebravit festum Paschatos, & cum in illo festo cruci adfixus sit, luce meridiana clarius est, Jesum Christum anno æræ vulgaris XXX. cruci adfixum esse.

Id quod jam demonstratum est, confirmat EPIPHANIVS, nam *Heres. LI. N. XXIII.* p. m. 446. refert, Jesum Christum passum esse Vinicio ac Longino Coss. annus autem, quo illi hoc functi sunt officio, est annus u. c. 783. qui respondet anno æræ vulgaris XXX. vid. Ill. CAMILLI *Chronol.* p. m. 269. (§. I.)

§. IV.

Tiberius solus regnavit a die XX. Augusti anni æræ vulgaris XIV. usque ad diem XXVI. Martii anni æræ vulgaris XXXVII.

Augustus diem suum obiit Nolæ in Campania XIV. Cal. Sept. f. d. XIX. Aug. Sex. Apulejo & Sex. Pompejo Coss. vid. DIONIS *Cassii hist. Rom. ed. a Guil. Xylandro* anno 1592. L. LV. p. 676. & 675. & SVETONIVM *Tranquillum, ex recensione J. G. Grævii ed. Hagæ Comitum* 1691. L. II. c. 100. p. m. 285. Apulejus vero & Pompejus consulatu functi sunt anno u. c. 767. vid. III. CAMILLI *Chron.* p. m. 267. & proinde Augustus mortuus est die XIX. Augusti anni u. c. 767.

Potest hoc alio quoque modo demonstrari. DIO l. c. p. 676. *Augustus, inquit, solus summum imperium gessit a victoria apud Actium annos (quibus tantum XIV. dies desunt) XLIII. Pugna Actiaca accidit, teste DIONE L. L. p. 485. 501. 503. L. LI. p. 506. IV. Non. Septembris, f. die 2 Septembris Cæsare Octaviano III. & M. Valerio Messala Corvino Coss. f. anno u. c. 723. vid. CAMILLI Chronol. p. 261. Si vero XIV. dies detrahimus, remanet dies XIX. Augusti, & si anno 723. addimus XLIV. exurgit annus u. c. 767.*

Tiberius, qui, Augusto mortuo, regimini solus præfuit, regnavit annos XXII. mens. VII. dies VII. vid. DIONIS *Hist. Rom.* L. LVIII. p. 732. Cum autem anni XXII. mens. VII. dies VII. additi diei XIX. Augusti anni u. c. 767. extendant se usque ad XXVI. Mart. incl. anni u. c. 790. Tiberius illo tempore regnare desiit, idque diserte affirmat DIO, nam refert L. LVIII. p. 732. & 733. Tiberium mortuum esse VII. Cal. Apr. f. die XXVI Martii, Cn. Proculo &

Pontio Nigrino *Coff. h. e.* anno u. c. 790. vid. CAMILLI *Chron.* p. 270.

Jam annus u. c. 767. respondet anno æræ vulgaris XIV. & annus u. c. 790. anno ær. vulg. XXXVII. (§. I.) & proinde Tiberius solus regnavit a die XX. Aug. anni æræ vulg. XIV. usque ad diem XXVI. Mart. anni ær. vulg. XXXVII.

§. V.

Caligula regnavit a die XXVII. Martii anni æræ vulgaris XXXVII. usque ad diem XXIV. Januarii anni æræ vulgaris XLI.

Caligula statim post obitum Tiberii, qui accidit d. XXVI. Mart. anni æræ vulgaris XXXVII. (§. IV.) imperator creatus est, & postquam regnavit annos III. mens. IX. dies XXVIII. interemptus est. vid. DIONIS *Rom. Hist.* L. LIX. p. 762. & 763. Quæ cum ita sint, Caligula regnavit a die XXVII. Martii anni æræ vulgaris XXXVII. usque ad diem XXIV. Januarii anni ær. vulg. XLI. Idem affirmat SVETONIVS, nam refert L. IV. c. XVII. LVIII. LIX. p. 384. 429. 431. Caligulam occisum esse nono Kal. Febr. s. d. XXIV. Jan. *Coff. C. Cæsare Augusto IV. solo*, i. e. anno u. c. 794. vid. CAMILLI *Chronol.* p. 271. qui respondet anno ær. vulg. XLI. (§. I.)

§. VI.

Claudius sceptrum tenuit a die XXV. Jan. anni æræ vulgaris XLI. usque ad diem XIII. Oct. anni æræ vulgaris LIV.

Caligulæ d. XXIV. Jan. anni ær. vulg. XLI. occiso (§. V.) illico successit Claudius, & regnavit A. XIII. mens. VIII. dies XX. vid. DIONIS *Hist. Rom.* L. LX. p. 791. & JOSEPHI *Antiqv. Jud.* ed. Col.

1691. L. XX. c. V. p. 693. Si autem A. XIII. M VIII. D. XX. addimus diei XXIV. Jan. anni æræ vulg. XLI. pervenimus ad diem XIII. Oct. incl. anni æræ vulg. LIV.

DIO *Cassius* l. c. & SVETONIVS L. V. c. XLV. p. 490. referunt, Claudium veneno necatum esse III. Idus Oct. f. d. XIII. Oct. Asinio Marcello, & Acilio Aviola Coss. Cum autem hi viri anno u. c. 807. consulatum obierint, vid. CAMILLI *Chron.* p. 273. & proinde anno æræ vulgaris LIV. (§ I) DIO & SVETONIVS confirmant ea, quæ jam demonstrata sunt.

§. VII.

Agrippa, Herodis magni ex Aristobulo nepos, rex Judæorum, periit anno æræ vulgaris XXXIII.

JOSEPHVS *Antiqu. Jud.* L. XVIII. c. VIII. p. 637. *Cajus*, inquit, Romam reversus, Tiberii simul corpus referens, more solenni funus celebravit sumtuosissime, & cum vellet Agrippam eodem die solutum dimittere, monitu Antonie supersedit, elapsis tamen NON MVLTIS DIEBVS accersitum ad se domum tonderi, vestemque mutare præcipit, imposito deinde in ejus caput diademate, tetrarchiæ, quæ Philippi fuerat, regem constituit, adjecta Lysaniæ quoque tetrarchia, & pro ferrea catena dedit ei auream pari pondere. Altero deinde anno Agrippa petiit veniam navigandi in suum regnum, ordinandi ejus gratia, reversurum se hoc peracto pollicitus, quod ubi imperator annuit, præter omnem spem rex apparuit. L. XIX c. VII. p. 679. Agrippa vitam finit, postquam regnasset per SEPTENNIVM, QVATVOR enim annos sub Cajo Cesare obtinuit regnum, primum in Philippi tetrarchia per triennium, cui quarto demum anno accessit & Herodis tetrarchia, TRIBVS deinde annis
sub

sub Claudio Cæsare, præter jam dictam ditionem in Judæa quoque regnavit & Samaria, simulque Cæsarea. Et L. II. de bello Judaico c. X. p. 793. Regnavit annis tribus, ante quoque, cum tetrarchiam teneret, aliis tribus annis tenuerat potestatem. Discrepare videtur hæc relatio ab illa, quæ ex Libro XIX. Antiqu. Jud. allata est. Ast, si etiam inter has relationes quædam intercederet discrepantia, tamen relatio, ex libr. de A. J. excitata, præferenda esset illi, quæ ex L. de B. J. producta est, siquidem ipse JOSEPHVS Antiqu. Jud. L. XX. c. IX. p. 702. testatur, se libros de Antiqu. Jud. edidisse post exaratos libros de B. J. Minime autem puto, Josephum sibi ipsi contradixisse, siquidem conciliandi modus adest. Nam si dicamus, Josephum in loco priori respicere illud tempus, quo Agrippa rex constitutus est, & in posteriori adventum Agrippæ in Philippi tetrarchiam, ejusque administrationem, tunc nullam deprehendimus contradictionem. Agrippa enim, qui a Caligula sub initium imperii ejus, s. anno æræ vulgaris XXXVII. rex constitutus est, tetrarchiam Philippi sibi traditam adiit altero Caligulæ anno, s. anno ær. vulg. XXXVIII. & Caligula occisus est die XXIV. Jan. anni ær. vulg. XLI. (§. VI) & proinde Agrippa quatuor regnavit annos, postquam a Caligula rex declaratus est, tres autem annos post adventum suum in Philippi tetrarchiam, ejusque administrationem.

Ex relatione autem illa, quam Josephus de annis imperii Agrippæ tradit, liquido constat, illum anno ær. vulg. XLIII. vita excessisse. Nam Josepho in more positum est, in supputandis annis regum Judæorum annos incompletos velut integros supputare, sive velut integrum numerare, & eum annum, quo aliquid fieri cœpit, & illum, quo id fieri desiit, quæcunque tandem primi anni pars transisset, & ultimi superesset. vid. Ill. CAMILLI de SYLVESTRIS

Chronol.

Chronol. p. 82. 92. sqq. & ea, quæ dicta sunt *in Introd. in libros V. T.* p. 176. & *in N. Test.* p. 215. & 213. Imo conficitur hoc ex ipsa jam allata relatione. Nam Agrippa a Caligula anno ær. vulg. XXXVII. circiter mense Majo rex constitutus est, siquidem Caligula Tiberio die XXVII. Mart. anni XXXVII. successit, (§. V.) & teste Josepho, Agrippam non statim post conscensum solium regium, sed diebus quibusdam interjectis, sive, ut verbis Josephi utar: *διελθῶσων πρην τοις πολλῶν ἡμερῶν* *elapsis non multis diebus regem declaravit.* Jam vero, teste eodem Josepho, Agrippa IV. annos sub Cajo Cæsare regnum obtinuit, & proinde, si Josephus annos integros, sive naturales intelligeret, Caligula vitam suam usque ad mensem Majum anni ær. vulg. XLI. protraxisset, de quo tamen constat, quod die XXIV. Jan. A. XLI. occisus sit. (§. V.)

Cum autem Josephus huncce in modum supputet annos, liquido jam constat, Agrippam anno ær. vulg. XLIII. periisse. Nam annus æræ vulgaris XXXVII. quo Agrippa rex constitutus est, Josepho primus est annus regiminis Agrippæ, & proinde annus ær. vulg. XLIII. septimus ultimusque.

Et profecto, si Agrippa anno ær. vulg. XLIV. periisset, non III. sed IV. annos sub Claudio regnasset, Josephus autem disertis verbis refert, Agrippam modo III. annos sub Claudio regnasse, neque obstat, quod III. annis menses quidam desint, nam desunt illi etiam IV. annis, quos sub Cajo regnavit. Periit itaque Agrippa anno ær. vulg. XLIII. s. anno tertio imperii Claudii, & in eadem sunt sententia AVCTORES *Centuriarum Magdeburgensium*, siquidem *Centur.* I. L. II. c. II. p. m. 6. c. III. p. 20. c. X. p. 429. prohibent, Agrippam periisse anno III. imperii Claudii. Fui quidem & ego olim in ea sententia, Agrippam
anno

anno ær. vulg. XLIV. periisse, postquam autem ex scriptis Josephi intellexi, quod constanter annos incompletos velut integros supputet, meam mutavi sententiam. Nam ipsa ratio jubet, ut in supputandis annis eam sequamur methodum, quam auctor, quem consulimus, observat, præcipue si nihil adest, quod eam deferere præcipit. Quodque eundem in modum se habeat relatio Josephi de annis imperii Agrippæ, nullus dubito. Nam unicum, quod obstare videtur, continetur in JOSEPHI *Ant. Jud.* L. XX. cap. I. his verbis: *Fadus - - - offendit Judæos trans amnem Jordanem habitantes, contendere cum Philadelphensibus de Miævici finibus. - Ceperunt autem arma transamnenses sine consensu primatum & magistratum, multosque Philadelphensium interfecerant. His cognitis Fadus vehementer iratus est, quod non expectassent suum judicium. - - - Comprehensis igitur tribus seditionis auctoribus, vinciri eos mandavit. - - - Nec ita multo post capitis damnavit Tholomæam, latronum principem ad se perductum, - deditque operam, ut TOTA JVDÆA purgaretur a latrocinis. Accitis DEINDE Pontificibus & Hierosolymitanorum primatibus, mandatum Cæsaris ei exposuit, ut talarem tunicam, & sacerdotalem stolam - - - in castellum Antoniam deponerent, ut esset in Romanorum potestate, quemadmodum olim fuerat. Illi non audentes contradicere, rogabant tamen Fadum & Longinum, (venerat & ipse Hierosolyma cum copiis - -) primum, ut sibi legatos ad Cæsarem liceat mittere. - - - Responsum est, permissuros, ut legati mittantur, si prius darentur obsides. Quumque promte liberos suos dedissent, legati profecti sunt. Qui postquam Romam pervenerunt, Agrippa junior, defuncti filius, qui tum forte apud Claudium agebat, ut diximus, cognito, qua de causa venissent, rogavit Cæsarem, ut Judæis sacræ stolæ custodiam petentibus annuere dignetur,*

tur, & Fado super eo negotio scribere. Tum Cæsar, vocatis ad se legatis, ait, se hoc eis concedere, - - - cui responso talem epistolam addidit: Claudius Cæsar Germanicus trib. pot. V. conf. des. IV. Imp. X. P. P. Hierosolymitanorum magistratibus, & senatui & populo, totique Judæorum genti salutem. - - - Date quarto calendas Julias, Rufo & Pompejo Sylvano Coss. Signatæ sunt itaque hæ litteræ Cæsaris die XXVIII. Jun. anni u. c. 799. & æræ vulg. Christianæ XLVI. (§. I.) & proinde, si Fadus in Judæam veniens, mandatum Cæsaris de stola sacerdotali in Antonia deponenda attulit, neutiquam probabile est, quod Fadus jam anno ær. vulg. XLIII. in Judæam pervenerit. Verum (1) Josephus non meminit, Fadum mandatum hocce Cæsaris attulisse, licet L. XIX. c. VII. ea referat, quæ Cæsar ipsi Romæ injunxit. (2) Valde dubito, quod Fado cognitum fuerit, Judæis stolam sacerdotalem esse, illamque, antea in castello Antonia custoditam, in templo servari, & quod Romæ a Cæsare mandatum sibi expetierit de stola sacerdotali sibi tradenda, siquidem Tiberio adhuc regnante stola sacerdotalis Judæis a Vitellio, Syriæ præside, tradita est. vid. JOSEPHI *Ant. Jud.* L. XVIII. c. VI. (3) Fadus, si mandatum Cæsaris de stola sacerdotali in castello Antonia custodienda Roma attulisset, Judæis procul dubio statim post suum adventum in Judæam illud exposuisset, quod autem hoc diu post adventum suum factum sit, ex relatione Josephi liquet. (4) Nescio, qui fieri potuit, ut, si Fadus mandatum hocce Cæsaris attulit, Claudius demum sub finem mensis Junii anni ær. vulg. XLVI. petitis Judæorum annuerit. Nam Fadus eodem illo anno, quo Agrippa periit, in Judæam venit, siquidem a Claudio, cognita morte Agrippæ, quæ accidit probabiliter mense Maio, illico in Judæam missus est. vid. JOSEPHI *Ant. Jud.* L. XIX. c. VII. Posito itaque, quod Fadus
 anno

anno ær. vulg. XLIV. in Judæam venerit, & quod anno demum XLV. mandatum allatum Judæis exposuerit, qui fieri potuit, ut legati Judæorum demum sub finem mensis Junii anni XLVI. libertatem impetraverint, stolam sacerdotalem in templo servare? Nam Judæi cognito mandato Cæsaris, statim legatos Romam miserunt, cumque illi Romam venerunt, Claudius illico petitis illorum annuit. vid. JOSEPHI *Antiqv. Jud.* L. XX. c. I. Multo veritius itaque est, quod Fadus in Judæa percipiens, stolam sacerdotalem olim in castello Antonia custoditam fuisse, Cæsarem rogaverit, ut Judæis præciperet, stolam sacerdotalem in castello Antonia deponere, & quod, mandato Cæsaris a Fado exposito, legati Judæorum anno ær. vulg. XLVI. Romam adierint, & Cæsar illis mense Junio concesserit, stolam sacerdotalem in templo servare.

§. VIII.

Agrippa anno æræ vulgaris XXXXIII. Jacobum, fratrem Johannis, morti tradidit, & Petrum in carcerem conjecit.

Lucas Act. XII. enarrat, quod Herodes Agrippa Jacobum capite plexerit; v. 2. quod Petrum in vincula conjecerit, illum post festum Paschatos morti traditurus; v. 4. quod, Petro ex carcere liberato, Cæsaream adierit; v. 6. 18. 19. & quod paulo post, ab angelo Dei percussus, misere perierit. v. 19-23. Verum, Herodes Agrippa anno ær. vulg. XXXXIII. mortuus est, (§ VII.) & proinde Jacobus morti traditus, & Petrus in vincula conjectus est anno æræ vulgaris XXXXIII.

§. IX.

Anno æræ vulgaris XXXXIII. annisque sequentibus Judæa magna annonæ caritate pressa est.

JOSE-

JOSEPHVS *Antiqv. Jud.* L. XIX. c. VII. p. m. 680. *Claudius*, inquit, *audito Agrippæ obitu* - - - *præsidentem Judææ totiusque regni misit Cuspium Fadum.* L. XX. c. II p. m. 690. *Fado successit Tiberius Alexander* - - - HORUM TEMPORE MAGNA illa fames Judæam tenuit, quo regina Helena frumentum, ingenti sumtu ex Ægypto comparatum, in egenos distribuit, ut jam dictum est. Cum autem obitus Agrippæ, & proinde adventus Fadi incidat in annum ær. vulg. XXXXIII. (§. VIII.) eodem anno Judæa magna annonæ caritate pressa est.

Idem ex cap. XI & XII. Act. demonstrari potest, nam Lucas refert c. XI. 29. 30. quod illi, qui Antiochiæ in Christum crediderunt, in sublevamen fidelium egenorum, Hierosolymæ degentium, stipem collegerint, & Hierosolymam miserint, & c. XII. 1-25. quod eodem illo tempore a rege Herode Jacobus morti traditus, & Petrus in vincula datus sit. Cum autem hæc facinora ab Agrippa anno æræ vulgaris XXXXIII edita sint, (§. VIII) liquido constat, Judæam illo anno magna annonæ caritate afflictam fuisse. Et quod non ante hunc annum Judæa annonæ difficultate pressa sit, ex Act XI. 28-30. in aprico est, nam postquam Agabus per spiritum prophetiæ significavit, magnam annonæ caritatem futuram esse, fideles statim stipem collegerunt, eamque Hierosolymam miserunt. Si autem jam anno XXXXII. annonæ caritas invaluisset, tunc ante illum annum, quo Jacobus capitis damnatus est, stipem Hierosolymam misissent, quod vero relationi Lucæ prorsus contradicit.

§. X.

Paulus anno æræ vulgaris XXXXIII. stipem Antiochiæ collectam cum Barnaba Hierosolymam detulit.

DD

Quod

Quod fideles Antiochenſes anno æræ vulgaris XXXXIII. ſtipem Hieroſolymam miſerint, ſpho præcedenti jam demonſtratum eſt. Cum autem eam ſtipem Hieroſolymam deportandam Paulo & Barnabæ tradiderint, Act. XI. 30. Paulus cum Barnaba anno ær. vulg. XXXXIII. ſtipem Antiochiæ collectam Hieroſolymam detulit.

§. XI.

Nero regnavit a die XIV. Oct. anni ær. vulg. LIV. uſque ad diem IX. Jun. anni LXVIII.

Nero regno præfuit A. XIII. M. VII. D. XXVIII. vid. EVSEBII *Theſaurum temp.* ed. J. J. Scaligeri, Amſtel. 1658. p. m. 44. CASSIODORVM T. I. Opp. edit. Gareti, Rotomagi 1679. p. m. 386. & ZONARAM Annal. T. II. ed. Oporini Baſ. 1557. p. m. 190. verum, Nero ſtatim poſt mortem Claudii, quæ accidit die XIII. Oct. A. ær. vulg. LIV. (§. VI.) imperator ſalutatus eſt, & proinde ſceptrum tenuit a die XIV. Oct. A. ær. vulg. LIV. uſque ad diem IX. Junii anni ær. vulg. LXVIII.

§. XII.

Paulus Hieroſolymæ non ante menſem Junium in vincula conjeſtus eſt.

Paulus, Philippis relictis, navem conſcendit poſt dies Azymorum, ſive poſt feſtum Paſchatos, & venit Troadem intra *dies V.* ibique hæſit *dies VII.* Act. XX. 6. Pedibus iter faciens, venit Aſſum, Myſiæ urbem, etiam Apolloniam dictam. v. 13. Inde Mytilenem, inſulæ Leſbi urbem præcipuam. v. 14. *Poſtridie* pervenit e regione Chii, inſulæ inter Leſbum & Samum ſitæ, & *altera die* ad inſulam maris Ægei Samum, ac manſit Trogylli, Ciliciæ oppido, & *die ſequenti* venit Miletum, oppidum maritimum Cariae

Cariæ in Asia situm. v. 15. Venit Coum, *die sequenti* Rhodum, & deinde Pataram. c. XXIII. 1. Inventa nave trajiciente in Phœnicen, ea conscensa navigavit in Syriam, & venit Tyrum, ibique mansit *dies VII.* v. 2. 3. 4. Pervenit Ptolemaidam, & apud fratres commoratus est *diem unam.* v. 7. Adiit Cæsaream, v. 8. & apud fratres permansit dies multos. v. 10. Tandem venit Hierosolymam, v. 15. 16. ibique post *dies VII.* s. *die octava* in vincula coniectus est. v. 18. 26. 27. Si summam illorum dierum, quorum Lucas expressam mentionem facit, colligimus; exsurgit numerus XXXII dierum. Verum, præter hos XXXII. dies ad minimum XXX. dies effluxerunt, nam pedibus iter fecit Assum, venit Mytilenem, Miletum accersitos presbyteros ecclesiæ Ephesinæ instruxit, c. XX. 16. fin. adiit Pataram, Tyrum, Ptolemaidam, Cæsaream, ubi apud fratres commoratus est dies multos, & Hierosolymam; cumque saltim dies ultimus festi Paschatos in mensem Aprilem incidat, & festum Pentecostes die quinquagesima a prima die festi Paschatos celebretur, in aprico est, Paulum non ante mensem Junium in vincula datum esse.

§. XIII.

Porcius Festus Felici non ante mensem Junium successit.

Lucas refert Act. XXIV. 27. *Felicem biennio expleto successorem nactum esse Porcium Festum.* Quod hocce biennium ad vincula Paulina referendum sit, me etiam non monente, quilibet concedet. Nam in versibus antecedentibus de Paulo victo sermo est, & Felix, cui Claudius, teste JOSEPHO *Antiqv. Jud.* L. XX. c. V. p. 693. & B. J. L. II. c. XI. p. 782. ante annum imperii sui duodecimum, & proinde ante annum ær. vulg. LII. (§. VI.) Judæam procurandam dedit,

dit, illo officio functus est, teste eodem JOSEPHO B. J. L. II. c. XII. p. 797. anno primo Neronis, f. anno ær. vulg. LV. (§. XI.) imo Paulus Act. XXIV. 10. testatur, Felicem non duos, sed multos annos Judææ præfuisse. Porcius Festus itaque Felici successit, postquam Paulus biennium in vinculis transegit. Ast Paulus non ante mensem Junium in vincula coniectus est, (§. XII.) & proinde Porcius Festus Felici non ante mensem Junium successit.

§. XIV.

Porcius Festus Felici non successit post annum æræ vulgaris LX.

TACITVS enarrans res gestas Coss. Paulo Mario & L. Asinio *Annal.* L. XIV. c. LXV. p. m. 1007. *Eodem, inquit, anno (Neronem) libertorum potissimos veneno interfecisse creditum est, Doryphorum, quasi adversatum nuptiis Poppææ, Pallantem, quod immensam pecuniam longa senecta detineret.* Paulus Marius & Asinius consulatu functi sunt anno u. c. 815. vid. CAMILLI *Chron.* p. 274. annus u. c. 815. respondet anno ær. vulg. LXII. (§. I.) & proinde Pallas anno ær. vulg. LXII veneno sublatus est. Quum autem minus probabile sit, Felicem eodem anno Romæ accusatum & absolutum esse, quo Porcius Festus ipsi successit, siquidem Paulus non diu post adventum Porcii Festi Romam missus, anno demum sequenti illam urbem intravit, Act. XXVII. 9. sqq. XXVIII. 11. & Pallas, cujus precibus Nero Felicem donavit, teste JOSEPHO *Antiqv. Jud.* L. XX. c. VII. p. m. 696. anno ær. vulg. LXII interemptus sit, Porcius Festus neque anno ær. vulg. LXI. neque annis sequentibus, sive non post annum ær. vulg. LX. Felici successit. Et hoc quoque exinde patet, Porcio Festo successit *Albinus*, vid. JOSEPHI *Ant. Jud.* L. XX. c. VIII. p. 697. & *Bell. Jud.* L. II. c. XIII. p. 798. ac *Albino Gessius Florus*, & quidem anno decimo Neronis

ronis, s. anno ær vulg. LXIV. (§. XI.) Nam JOSEPHVS
*Ant. Jud. L. XX. c. IX. p. 702. Secundo, inquit, anno
 postquam is (Florus) venit procurator in provinciam,
 duodecimo vero Neronis imperii, bellum id (Judaicum)
 cæptum est, & B. J. L. II. c. XIII. p. 799. Bello Judaico
 dabatur exordium duodecimo scilicet anno regni Nero-
 nis - - mense Majo. Imo Ant. Jud. L. XX. c. IX.
 p. 702. Florus, inquit, adduxit secum Cleopatram
 conjugem, per quam ut Poppææ Augustæ amicam, Ju-
 dææ administrationem impetraverat. Ast, teste TA-
 CITO Annal. L. XV. p. 1108. & 1118. Poppæa de
 medio sublata est A. Lic Nerva Silano, & M. Ve-
 stino Attico Coss. s. a. u. c. 818. vid. CAMILLI
 Chron. p. 274. & proinde anno ær. vulg. LXV. (§. I.)
 Verum enim vero, si Porcius Festus anno ær. vulg.
 LXI. in Judæam venisset, Porcio Festo & Albino
 tres tantum anni dandi essent. Quod autem unicui-
 que horum præsidum saltim biennium tribuendum
 sit, facile concedet, qui ea, quæ JOSEPHVS *Antiqu.
 Jud. L. XX. c. VII. & VIII. & B. J. L. II. c. XII. &
 XIII. de illis refert, perpendet. Nam tempore præ-
 fecturæ PORCII FESTI (1) Cesarensium Syrorum
 duo præcipui per Beryllum impetrarunt, ut Cæsar Ju-
 dæis ejus civitatis jus hæctenus commune ex æquo cum
 Syris abrogaverit. (2) Porcius Festus eos, qui ma-
 xime infestantur provinciam, sollicitè persecutus, la-
 tronum plurimos comprehendit & interfecit. (3) Agrip-
 pa exstruxit insigni amplitudine domum prope porticum
 in regia Hierosolymitana, quæ Assamonæorum fuerat,
 ut spectaret, quicquid circa templum fieret, & ea ex-
 structa Judæi altum parietem excitarunt, domum
 Agrippæ altitudine superantem. (4) Exorta deinde
 contentione Judæi legatos Romam miserunt, qui tem-
 pore Porcii Festi redierunt. Et tempore ALBINI la-
 trones semper aliquam artem comminiscabantur, quæ ex
 Ananiæ cognatis quempiam interciperent, nec prius**

dimittebant, quam e suis aliquot reciperent, auctique denuo magno numero, & recepta audacia, totam eam regionem vastarunt. Agrippa urbem quandam statuis passim dispositis atque expressis ad antiqua clarorum artificum archetypa imaginibus, & omnia pene regni sui ornamenta in eam transtulit. Imo Albinus nullam malignitatis speciem præterit, causis civilibus furatus est, bona singulorum diripuit, tributorum additamentis in commune gentem gravavit, & quos ob latrocinia decuriones comprehenderunt, accepta pecunia liberavit. Quæ cum ita sint, Porcius Festus Felici post annum ær. vulg. LX. non successit.

§. XV.

Felix Porcium Festum successorem non natus est ante annum æræ vulgaris LX.

JOSEPHVS *Antiqv. Jud* L. XX. c. VII. p. m. 696. *Postquam, inquit, Felici successor Porcius Festus a Nerone missus est, primores Judæorum, Cæsaream incolentium, Romam profecti sunt, Felicem accusaturi, dedissetque omnino pœnas injuriarum, quibus Judæos affecerat, nisi Nero eum donasset PALLANTIS precibus, qui TVM in pretio erat apud Cæsarem. Quod autem Pallas non ante annum ær. vulg. LIX. Neroni reconciliatus sit, ex TACITI Annalibus constat, nam Pallas statim sub initium imperii Neronis, M. Asinio Marcello & M. Acilio Aviola* *Coff. f. anno u. c. 807. (vid. CAMILLI Chron. p. 273.) & anno ær. vulg. LIV. (§. I.) tædium sui movit. vid. Annales TACITI ed. a Job. Frid. Gronovio Amst. 1672. L. XII. c. LXIV. p. m. 798. & L. XIII. c. II. p. 812. Anno sequenti, imperatore Claudio Nerone & L. Antistio vetere* *Coff. f. anno u. c. 808. & anno ær. vulg. LV. Nero infensus iis, quibus superbia muliebris (Agrippinæ) innitebatur, demovit*
Pallantem

Pallantem cura rerum, quibus a Claudio impositus, velut arbitrum regni agebat. vid. L. XIII. c. XI. p. 823. & c. XIV. p. 827. Paulo post læsæ majestatis reus factus est, cujus accusationis auctor exstitit Pæ-tus quidam, ne tam grata Pallantis innocentia, quam gravis superbia fuit. vid. L. XIII. c. XXIII. p. 845. & 846. Tandem Agrippina occisa est Cajo Vipsano & Fontejo Coss. vid. L. XIV. c. I-VIII. p. 908-920. s. anno u. c. 812. (vid. CAMILLI Chron. p. 273.) & anno ær. vulg. LIX. (§. I.) Cum autem nos lateat, an non Agrippina sub finem anni ær. vulg. LIX. perierit, & Pallas probabiliter Neroni non statim post mortem Agrippinæ reconciliatus sit, imo non probabile sit, Felicem eodem anno, quo Porcium Festum successorem est nactus, Romæ accusatum & absolutum esse, (§. XIV.) & ex duabus sententiis semper ea eligenda sit, quæ nullis difficultatibus laborat, Porcius Festus Felici non ante annum æræ vulgaris LX. successit.

§. XVI.

Porcius Festus Felici successit, anno æræ vulgaris LX.

Felix Porcium Festum non nactus est successorem post annum ær. vulg. LX. (§. XIV.) neque ante annum ær. vulg. LX. (§. XV.) & proinde Porcius Festus Felici successit anno ær. vulg. LX.

Et hoc quoque exinde probabile est, JOSEPHVS, qui natus est anno primo Caligulæ, vide *librum, quem de vita sua conscripsit, p. m. 998. & proinde anno ær. vulg. XXXVII. (§. V.) post annum sextum supra vigesimum, s. anno ær. vulg. LXIII. Romam profectus est, ut sacerdotes quosdam sibi familiares, quos Felix ob levem quandam culpam vinctos Romam miserat, liberaret, p. 999. & quidem, post-*
DD 4
quam

quam audivit, *quod ficis ac nucibus vitam sustentarent.* Quod hi sacerdotes a Felice non missi sint Romam anno ultimo suæ præfecturæ, nullus dubito; nam Lucas refert Act. XXVII. 1. 37. 42. XXVIII. 16. quod captivi non pauci una cum Paulo Romam missi sint, si autem Felix sacerdotes illos, quorum Josephus meminit, eodem illo anno Romam misisset, quo Paulus missus est, non tanta copia captivorum Romam deportandorum adfuisset. Nam Paulus non diu post adventum Porcii Festi in Judæam Romam missus est, (Act. XXIV. 27. XXV. 1. 4. 6. 13. 14. XXVI. 32. XXVII. 1.) & Porcius Festus teste JOSEPHO *Ant. Jud. L. XX. c. VII.* offendit quidem Judæam a latronibus afflictam, ast illi præcipue festis diebus admixti turbæ, alios interfecerunt, & quos copiis suis aggressus est, illi una cum seductore oppressi sunt. Imo nulla est ratio, quare Felix hos tantum sacerdotes, & non quoque reliquos captivos Romam miserit? ob stare quidem videtur, quod Felix Paulum in Judæa reliquerit, ast hæc nubecula facili negotio dispelli potest, nam Felix eum in finem Paulum Romam non misit, quia de ejus innocentia convictus fuit, & ut Paulus libertatem suam pecunia data redimeret. Act. XXIV. 23. 26.

Verum enim vero Porcius Festus Felici non successit post annum ær. vulg. LX. (§. XIV.) & proinde hi sacerdotes a Felice missi sunt Romam, aut anno ær. vulg. LIX. aut ante hunc annum, cum vero non probabile sit, quod Josephus usque in annum V. f. VI. f. VII. distulerit sacerdotibus his succurrere, Porcius Festus Felici probabiliter successit anno ær. vulg. LX.

Non est, ut mihi quis objiciat, si sacerdotes, quorum Josephus meminit, a Felice A. ær. vulg. LIX. Romam missi sunt, effluerunt IV. anni, priusquam Josephus Romam adiit, & quare non prius Romam profe-

profectus est, & his sacerdotibus auxilium tulit? Nam relatio ipsa Josephi hanc objectionem diluit, siquidem *libr. de vita sua: Quo tempore, inquit, Felix in Judea procurator erat, sacerdotes quosdam mihi familiares, viros honestos & bonos, ob levem quandam culpam vinc̄tos Romam misit, acturos causam suam apud Cæsarem, quos ut aliquo pacto eriperem periculo, præsertim cum audirem, ne in calamitate quidem constitutis curam pietatis excidisse, & ficis ac nucibus eos vitam sustentare, veni Romam.* Ex quibus verbis liquet, quod sacerdotes ob LEVEM QUANDAM CAUSAM a Felice Romam missi sint, & quod Josephus Romam adierit, cum AUDIVIT, eos ficis & nucibus vitam sustentare. Forsitan itaque Josephus, cum sacerdotes hi non redirent, anno ær. vulg LXI. quosdam rogavit, ut sibi statum illorum referrent, anno ær. vulg. LXII. certior redditur, quod adhuc vinculis detinerentur, & vitam ficis ac nucibus sustentarent, & proinde anno LXIII. Romam petiit.

§. XVII.

Paulus circiter mense Augusto illius anni, quo Porcius Festus Felici successit, Romam missus est.

Lucas Act. XXVII. 9. *Multo autem, inquit, tempore peracto, & cum jam periculosa esset navigatio, quod jam etiam jejunium præterisset, admonebat eos Paulus.* BASNAGE *Annal. ad A. C. LIX. p. 698. Jejunium, inquit, dubio procul celeberrimum sanctissimumque significatur, quod alia omnia & antiquitate & dignitate superabat, quale fuit jejunium expiationum, quod ab ipso numine indictum fuit. Lev. XVI. Cum maximam haberet dignitatem hoc jejunium, congruenter a Luca simpliciter jejunium vocatur.* Et huic sententiæ subscribere nullus dubito.

Cum autem hoc magnum jejunium, quod X. die Tisri agitur, incidat vel in finem Septembris, vel in initium Octobris, & teste Luca, multi dies effluerint ab illo tempore, quo Porcius Festus Felici successit, usque ad illud tempus, quo Paulus Romam missus, Act. XXV. 1. 6. 13. 14. & ab hoc tempore usque ad jejunium, Act. XXVII. 2-9. ac Porcius Festus Felici non ante mensem Junium successit, (§. XIII.) Paulus circiter mense Augusto Romam missus est.

§. XVIII.

Paulus Romam missus est anno æræ vulgaris LX.

Paulus missus est Romam ultimo præfecturæ Felicis anno, (§. XVII.) verum Porcius Festus Felici successit anno ær. vulg. LX. (§. XVI.) & proinde Paulus Romam est missus anno ær. vulg. LX.

§. XIX.

Paulus anno æræ vulgaris LVIII. Hierosolymæ in vincula coniectus est.

Paulus Romam missus est mense circiter Augusto, (§. XVII.) postquam paulo ante in vinculis biennium expleverat, (§. XIII. Act. XXIV. 27.) missus autem est Paulus Romam anno ær. vulg. LX. (§. XVIII.) & proinde anno ær. vulg. LVIII. in vincula datus est, & quidem non ante mensem Junium. (§. XII.)

§. XX.

Lucas Act. XVIII. 22. innuit, Paulum Hierosolymam adiisse.

Lucas Act. XVIII. 22. *Quum, inquit, descendisset Paulus Cæsaream, ascendissetque ac salutasset ecclesiam, descendit Antiochiam. Quod to ascendere*

dere significare possit, Paulum Hierosolymam adiisse, extra controversiæ aleam positum est. Nam (1) Lucæ, imo Matthæo, Marco, Johanni, Paulo & scriptoribus V. T. in more positum est, profectiorem ad metropolim Judææ, Hierosolymam, verbo *αναβαινειν* exprimere, (quia Hierosolyma, teste JOSEPHO *Bell. Jud. L. VI. c. VI.* in regione altiori ac montosa sita fuit) vid. Luc. II. 42. XVIII. 31. XIX. 28. Act. XI. 2. XV. 2. XXI. 4. 12. 15. XXV. 1. 9. Matth. XX. 17. 18. Marc. X. 32. 33. Joh. II. 13. V. 1. XI. 55. Gal. II. 1. 2. Exod. XXXIV. 24. 1 Reg. XII. 27. 28. Efr. VII. 6. 7. Pf CXXII. 4. 5. Zach. XIV. 16. 17. & abitum ex hac urbe verbo *descendere*. Marc. III. 22. Luc. X. 30. Act. VIII. 5. 15. XI. 27. XXV. 6. 7. 1 Reg. XXII. 2. 2 Reg. VIII. 29. X. 13. (2) Adscendere sine addito loci nomine denotat, Hierosolymam proficisci, vid. Joh. VII. 8. 10. XII. 20. Act. XXIV. 11. & vice versa descendere, Hierosolyma Cæsaream adire. Act. XXIV. 1. 22. Ecclesia Hierosolymitana merito *καὶ ἐξοχην* audit ecclesia, siquidem reliquis ecclesiis multis membris major, & omnium ecclesiarum in Judæa, Samaria & Galilæa mater fuit. Quemadmodum autem *το ascendere* a Luca usurpatum, significare potest, Paulum Hierosolymam profectum esse, ita quoque nullus dubito, Lucam verbo *adscendere* indicare, Paulum Hierosolymam adiisse. Nam (1) Lucas in versu præcedente enarrat, Paulum Ephesiis dixisse: *OPORTET omnino me diem festum, qui instat, agere Hierosolymis*, si autem Paulus Hierosolymam non adiisset, Lucas saltim verbo quodam indicasset, Paulum consilium suum mutasse, sive certas ob causas propositum suum non executum esse, quod eo magis probabile est, quia Act. XX. 3. *Peractis*, inquit, *tribus mensibus*, Paulus, *quum ei in Syriam navigaturo FACTÆ fuissent a Judæis INS DIÆ, CENSUIT revertendum per Macedoniam.* (2) Si Paulus Hierosolymam non

non profectus fuisset, Lucas non talia verba adhibuisset, quæ significare solent *aditum & abitum* Hierosolyma, siquidem lex historica jubet, ut sensus anceps sedulo evitetur. (3) Cæsarea modo VIII. miliaria distat Hierosolyma, & nulla est ratio, quare, cum Paulus Hierosolyma tantum iter unius diei abfuerit, hanc urbem non adierit. conf. Act. XX. 23. 24. XXI. 12. 13. (4) Ad unum omnes asserunt, sensum verbi κατήβη Act. XXIV. 1. esse: *descendit summus sacerdos cum senioribus Hierosolyma Cæsaream*, & quidem, quia in versibus antecedentibus, nimirum Act. XXIII. 33. Cæsareæ mentio fiat, verum Act. XVIII. 21. Hierosolymæ mentio injicitur, & proinde Act. XVIII. 22. *adscendere* denotat aditum Cæsarea Hierosolymam. (5) Si Lucas Act. XVIII. 22. non indicat, Paulum Hierosolymam adiisse, sensus illius dicti esset, Paulus adscendit εις το υπερων, in quo ecclesia Cæsareensis congregata fuit, & postquam hanc ecclesiam salutavit, descendit Antiochiam. Cum autem abitus Cæsarea Antiochiam, verbo: *descendere*, exprimi non possit, quia Antiochia in regione altiori & versus septem triones sita est, & Lucas constanter τὸ υπερων mentionem injiciat, si adscensum εις το υπερων indicat, conf. Act. I. 12. XX. 11. coll. v. 10. 7-9 in aprico est, quod Lucas Act. XVIII. 22. non indicet, Paulum εις το υπερων adscendisse, sed Cæsarea Hierosolymam profectum esse. Quod vero Lucas Hierosolymæ expresse mentionem non faciat, procul dubio eam ob causam factum est, quia in versu superiore jam indicaverat, Paulo apud animum constitutum fuisse, Hierosolymam adire, & quia sensus verbi ἀναβαιεν omnibus notus fuit.

§. XXI.

Lucas in Actis refert, Paulum post suam conversionem quinque Hierosolymam adiisse.

Quod

Quod huic asserto sua constet veritas, liquet ex Act IX. 26. XI. 30. (coll. Act. XII. 25.) XV. 2. sqq. XVIII. 22. vid. §. XX.) XXI. 17. & proinde primum iter Hierosolymitanum apostoli Pauli Act. IX. secundum c. XI. & XII. tertium c. XV. quartum c. XVIII. 22. & quintum c. XXI. describitur.

§. XXII.

Apostolus Paulus secunda vice Hierosolymam adiit anno æræ vulgaris XXXXIII.

Cum Paulus secunda vice Hierosolymam adiit, stipem ab ecclesia Antiochena collectam eo detulit, (§. XXI.) detulit autem Paulus cum Barnaba hanc stipem Hierosolymam anno ær. vulg. XXXXIII. (§. X.) & proinde Paulus anno ær. vulg. XXXXIII. secunda vice Hierosolymam pervenit.

§. XXIII.

Apostolus Paulus quinta vice Hierosolymam intravit anno æræ vulgaris LVIII.

Paulus octava die, postquam Hierosolymam quinta vice venit, in vincula coniectus est, (§. XXI. & XII.) verum, in vincula datus est Hierosolymæ anno æræ vulgaris LVIII. (§. XIX.) & proinde quinta vice Hierosolymam intravit anno ær. vulg. LVIII.

§. XXIV

Inter Apostoli Pauli confectum iter Hierosolymitanum quartum & quintum, (§. XXI.) probabiliter non pauciores ac VI. anni effluerunt.

Lucastradit, quod *Paulus, Hierosolyma relicta, Antiochiam venerit*; (Act. XVIII 22. conf. §. XX.) quod, ποιησας χρονον ἵνα s. *peracto tempore quodam Antiochiæ, καθεξῆς Galatiam & Phrygiam peragra-verit, (v. 23.) & Bithyniam & Mysiam adierit*; (c. XIX. i. coll.

coll. Act. XVI. 7. 6.) quod *Ephesum pervenerit, ibique III. annos commoratus sit*; (Act. XIX. 1. XX. 31.) quod, *Epheso relicta, Macedoniam adierit*; (c. XIX. 21. XX. 1.) quod *illa peragrata profectus sit in Græciam*, strictiori sensu scilicet dictam, s. propriam & liberam, *ibique hæserit III. menses*; (c. XX. 2. 3.) & quod *ex Græcia Philippos adierit, & tandem Hierosolymam pervenerit*. (c. XX. 3. 6. XXI. 17.) Ponamus (1) quod saltim duo anni effluerint, priusquam Paulus Hierosolyma Ephesum venit, nam priusquam Asiam adiit, tempus aliquod Antiochiæ hæsit, (Act. XVIII. 23.) Ephesus Hierosolyma, si per Antiochiam, Galatiam & Phrygiam iter instituitur, circiter CCLXXX. milliaria distat, & in Bithynia & Mysia prima vice evangelium Jesu Christi prædicavit, siquidem illo tempore, quo prima vice has regiones adiit, in illis, impeditus a Spiritu Sancto, evangelium prædicare non potuit. Act. XVI. 7. 8. (2) Quod VII. menses effluerint, priusquam Epheso in Græciam venit, nam Græcia, si per Macedoniam iter instituitur, Epheso circiter CXXX. milliaria distat, & Paulus, teste Luca, Macedoniam peragravit, ac in Jesum credentes *λογω πολλω* sermone multo hortatus est. (Act. XX. 2.) (3) Quod unus mensis transierit, antequam ex Græcia Philippos veniens, illis relicta Troadem abierit. Si summam horum mensium colligimus, exurgit numerus XXXII. mensium. Verum, Ephesi Paulus commoratus est annos III. (Act. XX. 31.) in Græcia transegit III. menses, (Act. XX. 3.) & priusquam Philippis venit Hierosolymam, effluerunt ad minimum II. menses, (§. XII.) & proinde inter Pauli quartum & quintum iter Hierosolymitanum confectum probabiliter non pauciores ac VI. anni effluerunt.

§. XXV.

Inter Pauli tertium & quartum iter Hierosolymitanum confectum (§. XXI.) probabiliter non pauciores ac V. anni intercefferunt.

Lucas enarrat, quod Paulus *Hierosolyma Antiochiam se contulerit*; (Act. XV. 25. sqq.) quod, *Antiochia relicta, Sila assumto, adierit Syriam, Cili-
ciam, Derben, Lysiram, Galatiam, Phrygiam, My-
siam, Troadem, Samothraciam, Nicopolin, Philippos,
Amphipolim & Apolloniam, Thessalonicam, Beroeam,
Athenas & Corinthum*; (Act. XV. 36-XVIII. 1.) &
quod, *Corintho relicta, profectus sit Cenchream,
Ephesum, Cesaream & Hierosolymam.* (Act. XVIII.
18. 19. 22. conf. §. XX.) Ponamus (1) quod Paulus
Antiochiæ commoratus sit menses V. s. VI. nam Ju-
das, qui cum Paulo Antiochiam venerat, (Act. XV.
22. 27. 30.) ibidem aliquamdiu egit, (v. 33.) & Paulus
post ejus abitum adhuc Antiochiæ commoratus est.
(v. 35.) (2) Quod III. anni effluerint, priusquam
Paulus Antiochia Hierosolymam venit, nam absolvi-
tur hoc iter circiter DCL. mill. & Paulus ubique fere
evangelium prædicavit, sæpissime pedibus iter con-
fecit, Thessalonicæ III. Sabbata commoratus est,
(Act. XVII. 1. 2.) & Beroeæ ac Athenis aliquod tem-
pus hæsit. (Act. XVII. 10-fin.) Cumque Paulus
præterea Corinthi menses XVIII. transfegerit, Act.
XVIII. 11.) probabiliter inter Pauli iter Hierosolymi-
tanum confectum tertium & quartum non pauciores
ac V. anni intercefferunt.

§. XXVI.

Inter Pauli secundum & tertium iter Hierosolymitanum confectum (§. XXI.) probabiliter non pauciores ac IV. anni effluerunt.

Paulus

Paulus, postquam stipem ab Antiochenis collectam Hierosolymam detulit, *Antiochiam* repetiit. (Act. XII. 25.) B. LV THERVS, quia exemplari usus est, in quo *eis* pro *εξ* existit, hæc verba germanice reddidit: *Barnabas aber und Saulus kamen wieder gen Ferusalem*, reddenda autem sunt secundum codices melioris notæ, quibus utimur: *Sie kehrten zurück von Ferusalem*, nemlich nach Antiochien. Antiochiam reversus, una cum Barnaba segregatur ad opus, ad quod Deus illos vocavit (Act. XIII. 1-3.) His peractis, adiit *Seleuciam*, *Cyprum*, *Pergam*, *Antiochiam Pisidiæ*, *Iconium*, *Lystram*, *Derben circumjacentemque regionem*. (Act. XII. 3- XIV. 1-7) *Derbe* reversus est *Lystram*, *Iconium*, *Antiochiam Pisidiæ*, & per *Pisidiam*, *Pamphiliam*, *Pergam* & *Attaliam Antiochiam Syriæ*, eaque relicta, tertia vice *Hierosolymam* pervenit. (Act. XIV. 21- XV. 1-4. conf. §. XXI.) Cum autem, si solummodo distantiam unius loci ab altero, cujus Lucas expresse mentionem facit, respicimus, exsurgant circiter CCCCL. milliaria, & Paulus in omnibus illis locis, qui enumerati sunt, evangelium prædicaverit, & quidem non modo Judæis, sed & præcipue gentilibus, veritatum ad salutem consequendam cognitu necessariarum plane ignaris, (Act. XIII. 2. XIV. 27.) imo ecclesias plantaverit, iisque episcopos præfecerit, (Act. XIV. 23.) *Salaminæ* in synagogis Judæorum conciones habuerit, (Act. XIII. 5.) infulam *Cyprum* inter amplissimas numeratam peragraverit, (v. 6.) in *Pisidia*, & præsertim *Antiochiæ* tam diu evangelium prædicaverit, donec verbum Dei per universam regionem disseminatum fuit, (v. 49.) *Iconii* multum temporis consumserit, (Act. XIV. 3.) universam in circuitu *Lystre* & *Derbæ* regionem perambulaverit, (v. 6.) & *Antiochiam Syriæ* reversus, ibidem *χρονον εν ολιγον* non parvum tempus transegerit, (Act. XIV. 28.)
 quilibet

quilibet concedet, inter Pauli secundum & tertium iter Hierosolymitanum confectum probabiliter non pauciores ac IV. annos effluxisse.

Vereor, ne quis miretur, quare itineri CCCCL. miliarium quatuor annos, itineri DCL. miliarium tres annos, & itineri CCLXX. miliarium duos annos tribuam, & proinde necessarium duco, ad illustrandam & demonstrandam meam sententiam hæc adjicere.

(I) Attribuo itineri CCCCL. miliarium (§. XXVI.) annos IV. & itineri DCL. miliarium (§. XXV.) III. annos hæc ob rationes. a) In itinere priori Paulus ecclesias plantavit, in posteriori autem potissimum plantatas rigavit; rigationem autem non tantum temporis spatium requirere, quam plantationem, nemo nescit. b) Prius iter, si aditus in insulam Cyprum, abitusque ex ea excipitur, fuit terrestre, posterius vero & terrestre & maritimum, hocque ultimum absolvitur circiter CCCLXIV. miliar. & proinde itineri terrestri modo danda sunt CCLXXXVI. miliaria, quod autem iter terrestre Pauli plus temporis absumserit quam maritimum, quilibet facile concedet, siquidem Paulus iter terrestre plerumque pedibus confecit, hic & illic substitit, & non semper recta via ex una regione in aliam transit, sed sæpissime regiones, quas adiit, obambulavit (§. XXIV. XXVI.) c) In itinere priori in Pisidia, & præsertim Antiochiæ tam diu evangelium prædicavit, donec verbum Dei per universam regionem disseminatum fuit, & Iconii ac Antiochiæ in Syria multum tempus consumsit, in itinere autem posteriori modo Thessalonicæ III. Sabbata commoratus est, & Beroeæ & Athenis aliquod tempus hæsit. d) In itinere priori ubique evangelium prædicavit, in posteriori autem in Asia propria, cujus me-

EE

tropolis

tropolis est Ephesus, impeditus a Spiritu Sancto, id facere non potuit. Act. XVI. 6. 7.

(2) Assigno itineri CCCCL. miliarium (§. XXVI.) annos IV. & itineri CCLXXX. miliarium (§. XXIV.) annos II. quia Paulus non in posteriori, sed priori itinere hic & illic multum tempus consumpsit.

(3) Statuo, Paulum in itinere DCL. miliarium (§. XXV.) consumpsisse III. annos, in itinere autem CCLXXX. miliar. (§. XXIV.) II. annos, his inductus rationibus. a) Iter posterius fuit terrestre, prius vero & terrestre & maritimum, & hoc ultimum absolvitur circiter CCCLXIV. miliaribus & remanent ergo itineri terrestri CCLXXXVI. miliaria. b) In itinere posteriori rigavit multas ecclesias in priori jam plantatas c) In itinere posteriori modo Antiochiæ tempus aliquod hæsit, in priori autem Thessalonicae, Beroeæ & Athenis.

§. XXVII.

Designatio annorum, quibus Paulus tertia & quarta vice Hierosolyman pervenit.

Apostolus Paulus quinta vice Hierosolyman intravit anno ær. vulg. LVIII. (§. XXIII.) secunda vero vice anno ær. vulg. XXXXIII. (§. XXII.) & proinde inter aditum secundum & quintum XV. anni intercessere. Verum inter aditum quartum & quintum probabiliter non pauciores ac VI. (§. XXIV.) inter tertium & quartum non pauciores ac V. (§. XXV.) & inter secundum & tertium non pauciores ac IV. anni effluerunt, (§. XXVI.) & propterea probabiliter aditus quartus anno ær. vulg. LII. & tertius anno ær. vulg. XXXXVII. accidit, nam si annos VI. detrahimus de LVIII. remanent LII. & si de annis LII. detrahimus L. remanent XXXXVII imo si anno XXXXIII.

XXXXIII quo Paulus secunda vice Hierosolymam adiit, addimus IV. annos, exfurgunt XXXXVII. & si his annis V. adjicimus, prodeunt LII.

§. XXVIII.

Concilium Hierosolymitanum probabiliter habitum est anno æræ vulgaris XXXXVII.

Concilium Hierosolymitanum habitum est statim post aditum Pauli tertium, (§. XXI.) verum Paulus tertia vice Hierosolymam venit probabiliter anno ær. vulg. XXXXVII. (§. XXVII.) & proinde concilium Hierosolymitanum probabiliter habitum est anno æræ vulgaris XXXXVII.

Ad eundem annum refert Synodum Hierosolymitanam HAMMONDVS *Annot. ad Gal. II. 1. AVCTORES Centuriarum Magdeburgensium vero Cent. I. L. II. c. IX. p. 420. constituunt annum VI. Claudii, f. A. ær. vulg. XLVI. Alii designant annum XLVIII. PEARSONIVS, JOACH. LANGIVS, LINDHAMMER &c. A. XLIX. LIGHTFOOTVS Chron. Temp. N. T. p. 76. A. L. & PAREVS Comment. ad Gal. II. 1. A. LI.*

§. XXIX.

Paulus Gal. II. 1. indicat, se annis XIV. interjectis Hierosolymam adiisse.

Paulus Gal. II. 1. *Deinde, inquit, δια δεκατεσσαρων ετων, iterum adscendi; Hierosolymam cum Barnaba.* Quod autem verba illa *δια δεκατεσσαρων ετων* reddi debeant: *interjectis f. elapsis quatuordecim annis*, nullus dubito. Nam *δια* diebus & annis præpositum, si non ut Act. I. 3. indicat continuationem rei alicujus per certum aliquod temporis spatium, scriptoribus *θεσπευσοις* librorum N. T. & septuaginta

Interpretibus librorum V. T. constanter denotat post e.g. Marc. II. I. εισηλθεν - - - διημερων, post dies aliquot. Act. XXIV. 17. διελων πλειονων, post multos annos. Deut. IX. II. εγενετο δια τρισσαρακοντα ημερων, hebr. צפד. In eodem sensu δια quoque a scriptoribus profanis usurpatur. e.g. PLUTARCHVS in opp. ed. Guil. Xylandri. Francof. 1599. p. m. 483. διελων σχεδον τετρακοσιων, annis prope quadringentis post. HERODOTVS Halicarn. Hist. L. IV. p. 225. ed. Goth. Jungermanni Geneu. 1618. 785 Σκυθας αποδημησαντας οκτω και εικοσι ετα, και δια χρονε τρισκαταλειοντα, κ.τ.λ. Scythas, cum octo & uiginti annos peregre abfuissent, post tam longum tempus reuertentes. LYSIS ep. ad Hipparchum, quae exstat ad finem Diogenis Laertii ed. Henr. Stephani p. 875. πεντε διελθων ετων interjectis s. exactis quinque annis. Plura exempla profert Henr. Stephanus in Graecae linguae Thesouro.

Obstare videtur Matth. XXVI. 61 & Marc. XIV. 58. verum sunt haec verba non Jesu Christi & apostolorum, sed Judæorum, & quod illis δια denotet post, ex Matth. XXVI. 63. liquet. Tantum itaque abest, ut loca excitata impediunt, quo minus δια vertatur per post, ut potius demonstrent, δια Gal. II. I. idem significare, quod μετα Gal. I. 18 & proinde sensum verborum Pauli Gal. II. I. esse, post annos XIV. s. elapsis XIV. annis Hierosolymam iterum adscendi, & in eadem sententia sunt PEARSONIVS *Annal. Pauli* & *Translatores* & *Interpretes*, quos consulere potui, omnes

Aufus quidem est LUDOV. CAPELLVS, quem sequitur GROTIUS in *Annot. ad h. l.* aliam plane lectionem nobis obtrudere, nam *Histor. Apost. illustrata,*

strata, ejusque appendice. Jenæ. 1691. p. m. 95. Cum, inquit, (ut probatum est) non possint tot anni intercedere inter finem illius triennii & concilium Hierosolymitanum, si pro δεκατεσσαρων legamus τεσσαρων, omisso δεκα, res erit expedita & plana. - Forte itaque legendum επειτα δια τεσσαρων ετων. Facilis autem lapsus est ex δια in δεκα. Cum ergo forte scripsisset Paulus επειτα δια τεσσαρων ετων, proclivi lapsu factum inde videtur primo επειτα δεκα τεσσαρων, deinde inserta fuit præpositio δια syntaxeos gratia, atque ita factum est επειτα δια δεκατεσσαρων ετων. Quis autem a se impetrare potest, ut non abhorreat & detestetur effrenam hujus viri audaciam & licentiam. Nam violentas sacro codici infert manus, & persuadere nobis conatur lectionem diversam ab ea, quam ad unum omnes Codices græci Msc. & impressi, versionesque antiquæ referunt. Urget quidem necessitatem quandam, quod vero in errore versetur, ex nostra dissertazione liquet.

§. XXX.

Paulus non eodem anno, quo JESUS in crucem actus, ad fidem in JESUM perductus est.

Lucas quidem ea, quæ adscensionem JESU in cœlum exceperunt, ita enarrat, ut non certo definiri queat, quo anno hoc vel illud acciderit. Qui autem sine præconceptis opinionibus ea perpendet, quæ enarrantur Act. II. 46. 47. IV. 34. V. 16. 42. VI. 1. 7. 8. VIII. 1. 3. 5. 14. 25. 26. 40. IX. 1. 2. XXII. 4. XXVI. 9 - 11. facile concedet, Paulum non eodem anno, quo JESUS superna adiit, conversum esse.

Nam 1) quotquot habuerunt prædia aut domos, venderunt, & venditorum pretia attulerunt. 2) Per vicos exportarunt ægrotos, inque lectis & grabatis deposuerunt, ut venientis Petri vel umbra aliquem

eorum inumbraret, convenerunt enim vulgo ex finitimis urbibus Hierosolymam, adducentes ægrotos, & ab immundis spiritibus vexatos, qui ad unum omnes curati sunt. 3) Flagellis cæsi in templo & intra parietes evangelium JESU Christi prædicarunt. 4) Suborto fremitu græcanicorum adversus Hebræos VII. diaconi constituti sunt. 5) Crevit numerus discipulorum vehementer, ingensque sacerdotum multitudo fidei obedivit. 6) Post mortem Stephani Saulus intravit in domos, ac viros fœminasque trahens dedit in custodiam, & quum interemti sunt, suffragium tulit, imo per OMNES synagogas, (quarum Hierosolymæ cccclxxx fuerunt,) Christianos puniens, coegit ad blasphemandum, & supra modum furens adversus eos, persecutus est alios etiam in exteras usque civitates. Cumque fideles post festum Pentecostes, quod sub finem Maji, sive sub initium Junii celebratur, prædia & domicilia sua vendiderint, & persecutio Sauli saltim menses VI. s. VII. requirat, liquido constat, Paulum non anno, quo JESUS in crucem actus, conversum esse. Neque unicus mihi constat, qui hanc tueatur sententiam.

§. XXXI.

Iter Hierosolymitanum, cujus Paulus Gal. II. 1. meminit, non est ordine secundum. (§. XXI.)

Paulus Gal. II. 1. refert, se interjectis XIV. annis Hierosolymam adiisse, (§. XXIX.) posito itaque, quod Paulus anno eodem, quo JESUS cruci affixus est, conversus sit, quod tamen concedi nequit, (§. XXX.) tunc incidere iter illud in annum ær. vulg. XXXXIII. (§. III.) Ast, iter Hierosolymitanum secundum incidit in annum ær. vulg. XXXXIII. (§. XXI. X. XXII.) & proinde iter illud, cujus Paulus Gal. II. 1. meminit, non est ordine secundum.

§. XXXII.

§. XXXII.

Iter Hierosolymitanum, de quo Paulus Gal. II. 1. agit, non est ordine quartum. (§. XXI.)

Possẽm hoc ex chronologia demonstrare, superfedeo autem hac demonstratione, quia nondum evictum dedi, Paulum Gal. II. 1. annum suæ conversionis respicere, aliæque rationes gravissimæ adsunt. Nam Paulus Gal. II. 1. refert, se cum Barnaba Hierosolymam adiisse, Barnabas vero jam anno ær. vulg. XLVII. aut sub initium anni XLVIII. se a Paulo separaverat, postquam inter ambos *παροξυσμος* exortus erat, (Act. XV. 36-40. §. XXVIII.) & ne vestigium quidem in Actis & Epistolis Pauli exstat, quod se Paulo ante iter Hierosolymitanum ordine quartum, quod incidit in annum ær. vulg. LII. (§. XXVII.) iterum comitem adjunxerit. Et quis dicet, ea, quæ Paulus Gal. II. 2. 4. 5. 7. enarrat, demum anno ær. LII. accidisse? siquidem illa jam anno ær. vulg. XLVII. contigerunt. Nam ante iter Hierosolymitanum Pauli ordine tertium, quod incidit in annum ær. vulg. XLVII. (Act. XV. 1. seqq. §. XXI. XXVII.) Antiochiam venerunt falsi fratres *καλασκοπευτες* *την ελευθεριαν* fidelium & urgentes circumcisionem a gentibus fuscipiendam, (Act. XV. 1.) eodem tempore Paulus illis restitit, (v. 2.) cum Barnaba Hierosolymam profectus est, (v. 2-4.) & Apostolis exposuit, quæ DEUS per ipsos inter gentes effecisset. (v. 1. 12. 4.) Et profecto, si id, quod Paulus Gal. II. 1. seqq. refert, illo tempore accidisset, quo quarta vice Hierosolymam venit, Lucas illud silentio non præteriisset, siquidem res maximi momenti concernit; Lucas vero in nullo itinere Hierosolymitano Apostoli Pauli describendo tam brevis est, quam in illo, quod ordine est quartum. Quæ cum ita

sint, iter Hierosolymitanum, cujus Paulus Gal. II. 1. meminit, neutiquam est ordine quartum.

§. XXXIII.

Lucas iter Hierosolymitanum, de quo Paulus Gal. II. 1. agit, in Actis non omisit.

Iter Hierosolymitanum a Paulo susceptum & Gal. II. 1. descriptum accidit post annum ær. vulg. XXXXIII. (§. XXXI) verum, Lucas ab anno ær. vulg. XXXXIII. itinera a Paulo confecta accurate describit, sive indicat locum, quem reliquit, & quem adiit, (vid. Act. XIII. seqq. §. XXVI. XXI. X.) & proinde Lucas profectionem illam Hierosolymitanam, cujus Paulus Gal. II. 1. meminit, in actis neutiquam omisit. Et in hac sententia confirmamur, perpendentes, hanc Hierosolymitanam profectionem omnium fuisse nobilissimam.

§. XXXIV.

Iter Hierosolymitanum, de quo Paulus Gal. II. agit, est iter Pauli Hierosolymitanum ordine tertium. (§. XXI.)

Lucas iter illud Hierosolymitanum, quod Gal. II. 1. seq. describitur, in Actis neutiquam omisit, (§. XXXIII.) & propterea est vel ordine secundum, vel tertium, vel quartum, vel quintum. (§. XXI.) Non autem est ordine secundum, (§. XXXI) neque quartum, (§. XXXII.) neque quintum, (§. XXI. & XII.) & proinde est tertium. Et hoc aliæ quoque jubent rationes, nam (1) utrobique eadem exprimitur causa primaria profectionis, nempe quæstio de circumcissione & ritibus Mosaicis, sive de libertate Christiana. Gal. II. 3. Act. XV. 1. 2. 5. (2) Utrobique Barnabas Pauli comes sistitur. Gal. II. 1. Act. XV. 2. 12. (3) Utrobique refertur, Paulum cum emissariis falsis fratribus

fratribus disceptationem habuisse, illisque restitisse, Gal. II. 4. Act. XV. 1. 2.

In eadem sententia sunt Interpretes tantum non omnes, & præter illos AVCTORES *Centuriarum Magdeburgensium* L. II. c. IX p. m. 421. BARONIVS, LVD. CAPELLVS *Hist. Ap.* p. 91. seqq. WITSIVS *Melet. Leidens.* p. m. 59. & 60. LIGHTFOOT *Chron. Temp. & ordine Textuum N. Test.* T. II. opp. Roterod. 1686. p. m. 76. FR. SPANHEMIVS *F. Hist. Eccles. N. T.* p. m. 31. BVDDEVS *Eccl. Apost.* p. m. 192. & alii iudicio & eruditione præstantes viri. Quodque pluribus veterum non alia inhæserit opinio, constat ex testimonio HIERONYMI, qui præf. in Ep. ad Gal. *Quidam, inquit, post XIV. annos eum adscendisse tunc dicunt, quando in actis apostolorum de quæstionibus observandæ vel præmittendæ legis inter credentes dissensio orta est.*

Quæ autem huic sententiæ obstare videntur, facili negotio dilui possunt.

Obj.

1.) *Lucas refert Act. XV. Antiochenam ecclesiam Paulum Hierosolymam ablegasse, Paulus vero Gal. II. 1. enarrat, se, revelatione divina adductum, Hierosolymam adiisse.* Resp. Unius positio non est alterius negatio. Forsitan orta controversia de lege ceremoniali a fidelibus ex gentibus observanda, Deus Paulo per revelationem præcepit, Hierosolymam proficisci, & membra ecclesiæ Antiochenæ, comperta revelatione divina Paulo facta, ἐλάξαν constituerunt, ut Paulus cum Barnaba Hierosolymam contenderet. Sive, publico ecclesiæ iudicio delectus, privatim monitus fuit, ut provinciam delegatam promptus subiret, quæ est sententia PAREI, in *Comment. ad Gal. II.* & mihi præpore probatur.

- 2.) *Paulus Gal. II. testatur, se Titum comitem habuisse, Act. XV. autem de Tito altum est silentium. Resp. Hoc momenti aliquid traheret, si Lucas referret, Paulum solummodo cum Barnaba Hierosolymam adiisse; tantum vero abest, ut hoc tradat, ut potius testetur, alios quosdam cum Paulo & Barnaba Hierosolymam profectos esse. Act. XV. 2. Lucas Titi mentionem non injicit, quia non legatus ecclesiae fuit, sed tantum comes a Paulo consilio sapientissimo assumtus, prout Gal. II. 3. coll. v. 1. distincte exprimitur.*
- 3.) *Lucas Act. XV. tradit, Paulum Hierosolymam profectum esse, ad litem subortam componendam, Paulus vero Gal. II. refert, se Hierosolymae apostolis exposuisse evangelium, ne in vanum curreret. Resp. Paulus non perhibet, se eum in finem Hierosolymam adiisse, ut evangelium suum exponeret, multo minus, se unicum hunc scopum habuisse, sed tantummodo refert, se tunc temporis evangelium suum exposuisse, & hoc quoque Lucas innuit Act. XV. 4. Nam prout SEB. SCHMIDIVS Comment. in epist. Pauli p. m. 530. scite observat, *Αναλ. δεδασ. h. l. nihil aliud vult, quam quod Apostolus Paulus Hierosolymis coram apostolis & ecclesia clare proposuerit evangelium, & quomodo inter gentes praedicasset, firmatis omnibus per rationes, ex quibus erant illa, quae Deus fecerat cum ipsis, miracula & signa evangelio confirmando edita; addens, certum se esse, quod non possit aliquid addi: quod si aliquid habeant addendum, addant; si nihil habeant, evangelii cursum non inbibeant, sed juvent potius, omni scandalo, quasi secus sentirent, e medio ablato. Et quod ad verba illa: ne in vanum currerem, attinet, sensus illorum est,**

est, ne labor prædicationi evangelii impensus, inutilis quodammodo redderetur, quod sane respectu multorum evenisset, nisi apostolorum consensus compertus, falsorum fratrum calumniis occurrisset.

- 4.) *Paulus Gal. II 2. dicit: se καὶ ἰδίαν apostolis evangelium suum exposuisse, tota vero Synodi actio fuit publica.* Resp. Paulus primo privatim apostolis evangelium, quod hucusque prædicaverat, exposuit, deinde vero coacto ab apostolis concilio idem publice fecit. Act. XV. 4. coll. v. 6. vers. 12. coll. v. 6.
- 5.) *Si Paulus Gal. II. ad Synodum Hierosolymitanam respiceret, sine dubio ad decretum illius provocasset.* Resp. Non opus fuit Paulo allegatione hujus decreti, nam scopus Pauli est, ostendere, se ne quicquam ab apostolis didicisse, & illis minime minorem esse. Gal. I. 1. 11. 12. 16. 17. II. 6. 9. 11. Imò ex relatione de Tito, ad circumcissionem suscipiendam, ab apostolis non adacto, unicuique jam constitit, quod apostoli in ea sint sententia, fideles ex gentibus minime circumcidendos esse.
- 6.) *Si Paulus Gal. II. tertium suum iter respicit, dicendum est, quod ordine secundum omiserit.* Resp. Paulus secundum illud iter silentio præterit, quia tunc temporis modo stipem collectam Hierosolymam detulit, & sermonem cum Petro & fortasse quoque cum reliquis apostolis non contulit. Act. XII. 4. 5. 12. 17.
- 7.) *Si Paulus respiceret iter suum tertium, non usus fuisset vocibus επεισα, παλι.* Resp. SEBAST. SCHMIDIVS *Comment. in epist. Pauli* p. 528. objectionem prolatam hunc in modum diluit: επεισα deinde est tantum ordinis, non autem numeri,

meri, & παλιν iterum, iterationem tantum dicit, & vi ejus negatur, quod hic adscensus fuerit omnium primus. Et hoc multis exemplis comprobari potest. Nam quis e. g. dicet, quod επεισα I Cor. XV. 5-7. sit numeri, & quamvis Matthæus verbum Jesu Christi quintum & sextum omiserit, tamen Matth. XXVII. v. 50. Ιησους inquit, παλιν κραξας φωνη μεγαλη αφηκε το πνευμα. Eundem in modum Lucas quoque Ιω παλιν utitur, siquidem inter verba Pilati Luc. XXIII. 16. & 20. intercessere ea, quæ Matthæus c. XXVII. 17. sqq. & Marcus c. XV. 8. 9. referunt.

§. XXXV.

Paulus Gal. II. 1. non respicit illum annum, quo prima vice Hierosolymam adiit.

Si Paulus hunc annum respiceret, conversus esset ipso anno, quo Jesus cruci adfixus est, nam concilium Hierosolymitanum, quod Paulus Gal. II. 1. respicit, (§. XXXIV.) habitum est anno ær. vulg. XLVII. (§. XXVIII.) & proinde Paulus Hierosolymam prima vice adiisset anno ær. vulg. XXXIII. & conversus esset anno ær. vulg. XXX. qui est annus ille, quo JESVS cruci adfixus est. (§. III.) Verum enim vero, Paulus illo anno non conversus est, (§. XXX.) & propterea non respicit illum annum, quo prima vice Hierosolymam adiit.

Optime proinde PEARSONIVS *Annal.* p. 9. Vox, inquit, επεισα (deinde) non conjungit hæc verba cum illis de triennio, quasi a fine illius triennii initium sumerent; aliud enim επεισα inter hæc & illa intercedit c. I. 21. ubi narrare incipit, quando versatus sit in Syria & Cilicia, neque annos, quibus illic tunc erat

erat in iis regionibus, enumerat. Nulla igitur hic chronologica connexio cogitari potest, sed Apostolus eundem scopum persequens, DEINDE inquit & RVRSVS, sed neque DEINDE respicit moram ejus in Syria & Cilicia, neque hoc RVRSVS secundum ejus Hierosolyma adventum.

§. XXXVI.

Paulus Gal. I. 18. respicit annum suæ conversionis.

Paulus Gal. I. 18. respicit, aut tempus, quod Damasci commoratus est, aut annum suæ conversionis. Verum, si Paulus respicit tempus, quod Damasci transegit, si indicat, se tres annos, post reditum ex Arabia, Damasci hæsisse, tunc quoque Gal. II. 1. respicit Gal. I. 18. s. adventum in Judææ metropolim, Hierosolymam, ac regiones Syriæ & Ciliciæ, & proinde, posito, quod tantum unum annum in Arabia manserit, & quod altero anno post mortem Jesu Christi ad Deum conversus sit, itinera Pauli ita ordinanda essent: Paulus anno ær. vulg. XXXI. convertitur, anno XXXII. ex Arabia Damascum redit, anno XXXV. Hierosolymam adit, ac illa relicta regiones Syriæ & Ciliciæ, anno XLIX. iterum Hierosolymam adit, & statim post ejus adventum concilium illud magnum habetur. - Cum autem concilium Hierosolymitanum anno ær. vulg. XLIX. non habitum sit, (§ XXVIII.) liquido constat, quod Paulus Gal. I. 18. annum suæ conversionis respiciat.

Idem sentiunt HAMMONDVS, AKERSLOOTI, ANDR. MURRAY, LIGHTFOOT, *Chron. Temp. N. T.* p. 69. PEARSONIVS *Annal. Pauli, AVCTORES Centuriarum Magdeburgensium*, Cent. I. L. II. c. X. p. 454. FR. SPANHEMVS *Opp. Lugd.* 1701. p. 535. SEB. SCHMIDIVS, JOACH. LANGIVS &c.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Paulus Gal. II. 1. annum conversionis suæ respicit.

Quando Paulus Gal. II. 1. refert, se annis XIV. interjectis Hierosolymam adiisse, respicit vel annum, quo prima vice Hierosolymam profectus est, vel annum conversionis suæ. Non autem respicit annum, quo prima vice Hierosolymam adiit, (§. XXXV.) & proinde respicit annum suæ conversionis.

In eadem sunt sententia BEDA in *Act. XV.* BARONIVS, ESTIVS *ad Gal. II. 1.* JUSTINIANVS, AVCTORES *Centuriarum Magdeburgensium*, Cent. I. L. II c. IX. p. 420. CALOVIUS *ad Gal. II. 1.* SPANHEMIVS I. c. BVDDEVVS *Eccles. Apost.* p. m. 193. LINDHAMMER *Tab. Chronolog. Actor.* HAMMONDVVS *ad Gal. II. 1.* HINCKELMANNVS *Comment. in epist. ad Galatas*, CHRIST. STOCKIVS N. T. *ad h. l.* PEARSONIVS, qui *Annal. Pauli* p. 9. *Ex his*, inquit, *clare patet*, *hujus triennii epocham (Gal. I. 18.) a conversione Pauli peti debere.* *Idem dicendum est de epocha annorum XIV. Deinde post annos XIV. rursus adscendi Hierosolyma.* *Idem enim horum verborum scopus, eadem annorum epocha.* & JOACH. LANGIVS, qui *Comment. de vita & epistolis Pauli* p. 58. *Cum*, ait, *vix superesse possit dubium, tres istos annos, Gal. I. 18. numerari a conversione Pauli, nec Paulus notabiliorem haberet vitæ suæ epocham s. articulum, quam illum ipsum conversionis, ubi cœpit Christi causa agere, inde haud obscure constat, etiam hic, ubi apostolus aliquam rerum pro Christo gestarum seriem nectit, in annorum XIV. notatione ejusdem termini rationem fuisse habitam.*

Cum autem Paulus Gal. II. 1. respiciat annum suæ conversionis, liquido exinde constat, iter Hierosoly-

rosolymitanum, cujus meminit, non esse ordine quartum. Nam adiit Hierosolymam quarta vice anno ær. vulg. LII. (§. XXVII.) & proinde, si hocce iter respicit, conversus est anno ær. vulg. XXXVIII. anno XLI. Hierosolymam prima vice adiit, annum XLII. Antiochiæ transegit, & anno XLIII. Hierosolymam secunda vice profectus est. Verum, antequam Paulus Antiochiam cum Barnaba adiit, evangelium Jesu Christi in Syria & Cilicia prædicavit, (Gal. I. 21-24.) cumque in hoc negotio saltim annum unum consumserit, quod quoque exinde constat, quia ea, quæ Lucas Act. IX. 31. 32. 35. 37-39. 42. 43. X. 1. sqq. 48. XI. 2. 20. 21. 22. 25. enarrat, inter primum abitum Pauli Hierosolyma, & aditum Antiochiam acciderunt, imo, cum non probabile sit, Paulum demum anno VIII. post mortem Jesu Christi conversum esse, iter Hierosolymitanum, quod Paulus Gal. II. 1. respicit, non est ordine quartum.

§. XXXVIII.

Paulus anno ær. vulg. XXXIII. ad fidem in Jesum perductus est.

Paulus Gal. II. 1. indicat, se annis XIV. interjectis Hierosolymam adiisse. Cum autem annum suæ conversionis respiciat, (§. XXXVII.) & profectio illa, cujus meminit, incidat in annum ær. vulg. XLVII. (§. XXXIV. XXI. XXVIII.) & ab anno quadragesimo septimo detractis annis XIV. remaneat annus trigessimus tertius, Paulus anno ær. vulg. XXXIII. ad fidem in Jesum perductus est.

Non possum, quin adjiciam observationem ingeniosam PEARSONII *Annal. Pauli* p. m. 2. *Saulus, inquit, in Arabia moratur - - - Interea Herodis Tetrarchæ exercitus ab Areta Arabiæ Rege - - - profligatus, internecone funditus perit. Areta Ethnarcha Damascusum*

mascum præsidio tenet. Saulus ex Arabia redit Damascum. - - - Circa finem autem hujus anni, cum implerentur dies multi, consilium fecerunt in unum Judæi, ut eum interficerent. Act. IX. 23. Non enim tunc eam auctoritatem habebant in Damasco, quam habebant, cum Saulus primo venit Damascum. Quare insidias ei tantummodo sternebant, quæ Saulo notæ fuere, unde coacti sunt ab Ethnarcha Arabiæ petere, ut eum in eorum gratiam interficeret: qui inde cupiebat eum comprehendere. 2Cor. XI. 32. Judæi igitur observant portas civitatis, ut Ethnarchæ Saulum interficiendum tradant Solicitus fui de testimonio quodam veterum, quo demonstrari posset, Aretam, fuso Herodis exercitu, Damascum occupasse. Verum operam perdidit omnem, & spes concepta me fefellit. Si autem testimonium, quod huc usque frustra quæsi, ex scriptis veterum excitari possit, liquido exinde quoque constaret, Paulum non ante annum ær. vulg. XXXVI. Damasco Hierosolymam prima vice venisse, & proinde non ante annum ær. vulg. XXXIII. s. III. post mortem J. C. conversum esse. Nam JOSEPHVS *Ant. Jud. L. XVIII. C. VII. p. m. 626. Com-misso, inquit, prælio Herodis exercitus interneccione perit. Hæc Herodes per litteras Tiberio significat. Ille vero indigne ferens Aretæ audaciam, scribit Vitellio, ut ei bellum inferat, & aut vivum captum abducatur, aut occisi caput ad se mittat. - - - Vitellius autem ad bellum paratus Arabicum, assumtis - - - equitum auxiliis missis a sociis Regibus - - - pervenit Ptolemaidem. - - - Litteris autem de obitu Tiberii acceptis, revocatas ex itinere copias in hyberna dimisit. Constat, Tiberium obiisse die XXVI. Mart. anni ær. vulg. XXXVII. (§. IV.) & Herodis exercitus proinde anno ær. vulg. XXXVI. fusus est. Si itaque Aretas fuso exercitu Herodis Damascum occupavit, Paulus non ante annum ær. vulg. XXXVI. Damasco*
 Hiero-

Hierosolymam venit, & non ante annum ær. vulg. XXXIII. ad fidem in Christum perductus est, siquidem illo tempore, quo Damasco Hierosolymam au- fugit, Damascus imperio Aretæ subjecta fuit.

Statuo itaque, Paulum conversum esse anno ær. vulg. XXXIII. & proinde anno tertio post mortem Jesu Christi. (§. III.) Idem sentit JOACH. LANGIVS. Nam tradit *Tab. Chronol. præfixa dem Apostolischen Licht und Recht*, Paulum ad fidem in Jesum perductum esse anno XXXVI. cumque putet cum PEARSONIO *Leet. I. in Act. p. 29. seqq.* Jesum Christum anno XXXIII. cruci adfixum esse, vid. *Evangelisches Licht und Recht p. 449. lin. 4.* in aprico est, quod asserat, Paulum anno tertio post mortem Jesu Christi conversum esse, & proinde secundum nostram sup- putationem anno ær. vulg. XXXIII.

Imo consentientes habeo ex veteribus viros, quorum auctoritas est magna, & quibus idcirco præ reliquis fides habenda. Nam AVCTORES *Centu- riarum Magdeburgensium Cent. I. L. II. c. X. p. 453.* De tempore, inquit, *conversionis Pauli variant au- ctiores. Sed PROBATIORES & ANTIQVIORRES, ut Eusebius, Hieronymus, Euthalius Diaconus & alii sentiunt, Pauli conversionem anno --- XIX. Tiberii factam esse.* Quod autem annus XIX. Tiberii respondeat anno ær. vulg. XXXIII. liquet ex §. IV. Nam annus pri- mus imperii Tiberii incipit a die XX. Aug. anni ær. vulg. XIV. & proinde annus XIX. Tiberii initium sumit a die XX. Aug. anni XXXII. & progreditur usque ad d XIX. Aug. anni XXXIII. Quemadmo- dum autem sententia mea de anno conversionis Pauli minime nova dici potest, ita quoque non puto, ei- dem, quod alicujus momenti sit, obstare. Nam quantum ego conjicere possum, tria modo mihi ob- jici possunt *Primum est, EVODIVS & HIPPO- LYTUS Thebanus referunt, Stephanum anno VII.*

post passionem Jesu Christi lapidatum esse; *alterum*, Tiberius comminatus est periculum accusatoribus Christianorum, & proinde non probabile est, Stephanum imperante Tiberio lapidibus obrutum esse; & *tertium*, Judæi ipsi Joh. XVIII. 31. confessi sunt, *sibi non licere, quemquam interficere*, cumque idcirco non verisimilime sit, Stephanum eo tempore capitis damnatum esse, quo præses Romanus in Judæa fuit, probabiliter illo anno lapidatus est, quo Marullus a Cajo in Judæam missus est.

Quod ad primam objectionem attinet, ad eam refellendam sufficit annotatio VALESII ad Eusebii *Histor. Eccles.* L. II. cap. II. p. m. 21. *Nam quo anno, inquit, Stephanus martyrii coronam adeptus sit, non convenit inter omnes. Alii EODEM ANNO, quo passus est Christus, lapidatum esse volunt VII. cal. Jan. Ita diserte scribitur in excerptis chronologicis, quæ cum Eusebii Chronico edidit Scaliger p. 68. - - - Alii vero TRIENNIO post Christi mortem martyrium Stephani retulerunt anno Tiberii ultimo. Ita scribit in Chronico Georgius Syncellus. Multi etiam ulterius processerunt, & Stephanum anno ab ordinatione sua septimo passum esse scripserunt. Inter quos est Evodius & Hippolytus Thebanus, & Auctor Chronici Alexandrini, qui anno Claudii primo martyrium Stephani assignat. Quæ sententia hinc, ut opinor, manavit. Pro certo scilicet habebant, Paulum paucis diebus post cædem Stephani ad Christi fidem fuisse conversum. Eundem vero anno conversionis suæ tertio Hierosolymia advenisse, ipsius testimonio didicerant. Id porro accidisse anno Claudii tertio PAULO ANTE OBITUM HERODIS AGRIPPÆ ex Lucæ historia optime concludebant. Cumque hæc Valesii conjectura magna se commendet verisimilitudinis specie, & veneranda antiquitas, & præcipue, ut supra indicatum est, Eusebius, Hieronymus & Euthalius ab Evodio & Hippolyto dissentiant,*

tiant, quænam sit ratio, ut rejectis aliorum sententiis Evodium & Hippolytum sequamur, nescio. Aliter se res haberet, si nullus præter Evodium & Hippolytum de anno, quo Stephanus martyrium fecit, memoriæ aliquid prodidisset. Verum, prostant aliæ relationes, & quidem eorum, quibuscum Evodius & Hippolytus conferri nequeunt. Nam Hippolytus Thebanus floruit seculo XI. & liber Evodii, quem allegat Nicephorus, non Evodium Episcopum Antiochenum, qui temporibus apostolorum vixit, sed Evodium Uzalensem, qui seculo V. episcopi officio functus est, agnoscit auctorem, ac nullius est auctoritatis. Nam CHAMIERVS *spanstratia Catholica* T. II. L. XI. cap. XIX. p. m. 439. *Evodius, inquit, non habet satis auctoritatis. Qui enim factum, ut tam sero cognitus sit liber ejus, ut omnium pene postremi Euthymius & Nicephorus (quanquam Euthymius neminem nominatim auctorem laudat) eum soli, quod sciamus, legerint? --- Evodius dicit eam domum, in qua cœnam Dominus celebravit, fuisse Johannis Apostoli, quod est manifeste contra historiam evangelii. Et ITTIGIVS Biblioth. Patrum & quidem Dissert. de Patribus Apostolicis p. m. 97. Evodii, inquit, qui Apostolo Petro in Episcopatu Antiocheno successisse fertur, tractatum, luminis titulo insignitum, in Historia sua Ecclesiastica Nicephorus allegavit. Verum lumen illud Evodio adscriptum haud immerito tenebris dignum judicatur. --- Durius fictitium hunc Evodium Montacutius in originibus suis ecclesiasticis tractavit. Scribit enim agyrtam esse & tenebricosum nebulonem, qui sub elogio luminis Nicephoro simplici & superstizioso impesuit. --- Equidem ut ruiturus paries tibicine aliquo suffulciatur, Clementis Alexandrini objicitur testimonium, quem in Hypotyposis suis Evodii lumen allegasse ex Sophronii prato spirituali traditur. Verum etiam Sophronius ille suspectus testis est. Quamobrem*

cum aliquando doctissimus Jesuita Fronto Ducæus literis ad Savilium missis testatus fuerit, Clementis Alexandrini Hypotyposes, quæ nondum hætenus lucem adspexerunt, apud Patriarcham Alexandrinum extare, cum Montacutio expectabimus, donec Patres Societatis opus illud tessellatum ex Alexandrina Bibliotheca impetraverint, & in ecclesiæ usum evulgaverint. Idem Montacutius alibi miratur, ex quo gurgustio Evodius antiquis scriptoribus ignotus, in Nicephori rapsodias migraverit.

Progredior jam ad alteram objectionem. Quod Tiberius periculum minatus sit accusatoribus Christianorum, TERTVLLIANVS refert *Apol. adv. Gentes* Cap. V. ed. Franek. 1597. p. m. 21. Ut autem ex hoc fundamento credam, Stephanum imperante Tiberio & proinde ante annum ær. vulg. XXXVII. (§. IV.) non lapidatum esse, a me impetrare non possum. Nam Judæi Stephanum morte plectendum statuerunt, non ex eo capite, quod religionem Christianam amplexus sit, sed quod ex eorum mente Mosen spreverit, Deumque blasphemaverit, & proinde in sacra religionemque peccaverit. Vid. Act. VI. 11-14.

Restat tertia ultimaque objectio. Quod ad sensum effati Judæorum, quod Johannes Ev. c. XVIII. 31. refert, attinet, eruditi inter se dissentiunt. Nam quidam putant, supplicia capitalia infligendi jus Judæis a Romanis jam ante aliquot annos ademptum fuisse, alii autem contrariam sententiam defendunt. Hos atque illos recenset JOH. CHRISTOPHOR. WOLFIVS *Cur. Philol. Criticis in IV. SS. Evangelia*, p. 965. & addit p. 966. *Hanc (posteriores) præ altera illa se mihi præbent, non diffiteor recogitanti tum verba ipsa Pilati hoc commate & infra cap. XIX. 6. exstantia, quibus alioquin vis præter necessitatem infertur, tum exempla alia ejusmodi judiciorum vel tentatorum,*
vel

vel exercitorum, ut Act. V. 33. VII. 58. Quæ celeberrimus Wolfius brevissimis proponit, ANTON Bÿ-NÆVS Comment. de morte Jesu Christi T. III. Amst. 1698. p 27. sqq. fusiusexponit. Ego, inquit, Judæis supplicia capitalia non adempta - - - sed magnum Judaici populi senatum, sub ipsis quoque procuratoribus Romanis ea gavisum potestate, quæ se ad jus vitæ & necis extendit - - - existimo. Multa enim sunt, quæ persuadent, id certum omnino esse indubitatumque. Romanos - - - permisisse Judæis patriis moribus & sacris uti, ex Flavio Josepho jam observatum superius est. Tam comiter cum eos haberent Romani, - - - simul id potestatis reliquerunt supremo illius gentis senatui, ut si quis popularium in sacra peccaret, religionemque, in eum posset animadvertere non modo carcere, flagris & pœnis aliis minoribus, sed supremo etiam supplicio. - - - Atque hoc necesse omnino fuit, cum de multis cognitionem instituere Romani præsides non possent, quippe qui rituum jurisque apud Judæos divini ignari prorsus erant, imo religionem illorum omnem superstitionem ridiculam putabant ineptissimamque. - - - Publici judicii ministri apostolos in templo docentesprehendunt. De interficiendis hisce consultat senatus, peractumque id procul dubio fuisset, nisi aliud Gamaliel persuasisset. - - - Synedrii tribunali licuisse non modo carcere & flagris, sed pœnis etiam capitalibus coercere fontes, affirmandum omnino est. Quod non modo Pauli, verba Act. XXII 4. 5. - - - sed etiam Tertulli, oratoris Judæi, adversus Paulum accusatio, nomine Ananiæ, pontificis maximi, Judaicique senatus, apud Felicem, Romanum præsidem instituta. Act. XXIV. 5-8. - - - Sane Tertullus coram Felice Romano præside non ausus loqui in hunc modum fuisset, nisi Judæis administrare suum jus & quidem vitæ ac necis licuisset. Pilato ergo non reponunt Judæi: nobis non licet interficere quemquam,

quam, ac si - - - adempta ipsis capitalia supplicia fuissent. - - - Longe alius est hujus dicti sensus. Nemi-
 mini dubium esse potest, post Judæam in provinciæ for-
 mam redactam, seditionem, læsæque majestatis crimen
 - - - neutiquam ad Judaici senatus, sed ad Romani
 præsidis pertinuisse tribunal. Hujus criminis autem
 Jesum reum peragunt Judæi - - - Id quidem non ex-
 presse proditum a Johanne est. Eo tamen nos admo-
 dum facile ipsius oratio ducit. Postquam enim Pilato
 reposuissent Judæi: non licet - - - Pilatum introisse
 dicit in prætorium, ac Jesum rogasse: Tunc es rex
 Judæorum. Indicat hoc non obscure, Jesum de sedi-
 tione regnoque affectato accusasse Judæos. - - - Hinc
 cum dixisset iis Pilatus - - - accipite eum vos, &
 secundum legem vestram judicate eum, reum eum se-
 ditionis peragunt, regni que affectati, quod crimen
 pertinebat ad ejus tribunal, atque hoc sensu clamant:
 non licet nobis interficere quemquam, seditionis nempe
 ac læsæ majestatis reum. Cum hac determinatione
 enim, non absolute debent accipi hæc verba. Quod
 mox sequentia ostendunt non obscure: ut sermo Jesu
 impleretur, quem dixerat, significans, qua morte esset
 moriturus. Eisdem fere rationes affert JOACH.
 LANGIVS præf. des Evangelischen Lichts und
 Rechts, §. VIII. & IX. quem ultimum paragraphum
 his notatu dignis verbis incipit: Bey so gestallten Sa-
 chen nimmt es einen billig Wunder, wie es hat mög-
 lich seyn können, dasz so viele grundgelehrte Männer
 haben auf die Meynung kommen und dabey bleiben
 können, als wenn dem Jüdischen Volke die peinlichen
 Halsgerichte von den Römern genommen wären. Cum
 autem luce meridiana fit clarius, Judæis jus suppli-
 cium capitale infligendi peccantibus in sacra religio-
 nemque non ademptum fuisse, sua sponte corrui-
 t, quod ex hoc negato jure concluditur. Et profecto,
 quod Stephanus eo tempore a Judæis lapidatus sit,
 quo

quo præses Romanus in Judæa fuit, ex scriptis Josephi abunde liquet. Nam ante abitum Pilati Marcellus, a Vitellio Syriæ præside, anno ultimo Tiberii in Judæam missus, officio præsidis functus est, & in hujus locum anno primo Caji Marullus successit, vid. *Tab. Chronol. N. T.* p. 220. Quod autem Stephanus non post annum primum imperii Caji Caligulæ lapidatus sit, nemo est, qui nostra ætate neget.

§. XXXIX.

Paulus anno æræ vulgaris LXI. Romam captivus venit.

Paulus Romam missus est anno ær. vulg. LX. (§ XVIII.) veniens ad locum quendam, quem vocant pulchros portus, jejunium jam præterierat, Act. XXVII. 8. 9. quod incidit vel in finem Septembris, vel in initium Octobris; (§ XVII) usque ad naufragium factum multi effluerunt dies; Act. XXVII. 13-20. 27. & in insula Melita, in quam, naufragio facto, ejectus est, Act. XXVII. 1. tres menses transegit. v. 11. Quæ cum ita sint, Paulus anno ær. vulg. LXI. Romam captivus venit.

§. XXXX.

Paulus anno æræ vulgaris LXIII. Romæ vinculis solutus est.

Paulus anno ær. vulg. LXI. Romam venit, (§ XXXIX.) Romæ per biennium catenis constrictus fuit, (Act. XXVIII. 30. coll. ep. ad Philem. v. 1. 22. Phil. I. 14. II. 24) & proinde anno ær. vulg. LXIII. Romæ vinculis solutus est.

§. XXXXI.

Paulus anno æræ vulgaris LXVIII. capite plexus est.

EVSEBIUS in *Thef. temp.* p. m. 162. & HIERONYMUS *Catal. script. eccles. sub voce: Paulus*, referunt, Paulum anno Neronis XIV. s. ultimo decollatum esse, & CASSIODORUS, Patricius Romanus ac consul, T. I. *Opp.* p. m. 387. enarrat, Petrum & Paulum Romæ trucidatos esse *Sylvano & Othone* Coss. Verum annus XIV. imperii Neronis incipit a XIV. die Octobris anni ær. vulg. LXVII. (§. XI.) & Sylvanus & Otho consulatu functi sunt anno u. c. 821. (vid. CAMILLI *Chron.* p. 275.) qui respondet anno ær. vulg. LXVIII. (§. I.) & proinde Paulus martyrium subiit anno ær. vulg. LXVIII.

Idem liquet ex testimonio CHRYSOSTOMI *Homil. XIV. de princip. apost.* Nam Παυλος, inquit, ετη τριακοντα πεντε εδουλευσετω κυριω. *Paulus annos XXXV. domino servivit.* Cum autem Paulus anno ær. vulg. XXXIII. conversus sit, (§. XXXVIII.) liquido inde constat, quod anno ær. vulg. LXVIII. martyrium fecerit, & hoc accidit teste CLEMENTE *Romano Ep. I. ad Corinthios* ed. ITTIGII p. m. 13. sub præfectis in urbe, ac si POLEMEO SILVIO credere licet die XXII. Febr. nam in *Kalendario*, quod in T. VII. *Act. Sanctorum* prostat, VIII. inquit, *Kal. Mart. depositio Petri & Pauli.* Profecto, quod d. XXIX. s. XXX. Jun. anni XIV. imp. Neronis martyrium non fecerit, in aprico est, constat enim, Neronem d. IX. Jun. se ipsum interfecisse. (§. XI.)

Quod ad annum attinet, quo Paulus capitis damnatus est, in diversa abeunt Patres, qui prioribus seculis floruerunt. Nam quidam designant annum ær. vulg. LXV. alii annum LXVI. alii annum LXVII. & reliqui annum LXVIII. Mihi, sicuti quoque JOACH. LANGIO *Tab. Chron præfixa dem Apostolischen Licht und Recht*, LINDHAMMER *Tab. Chron.* PEARSONIO *Annal. Pauli* & JO. ALB. FABRICIO *Bibl. Græc.* L. IV. p. 151. placuit sententia eorum Patrum,

trum, qui annum LXVIII. constituunt. Absit autem, ut eam certissimam esse pronunciem, scio enim, quod peræque ut reliquæ suis prematur difficultatibus.

§. XXXII.

Acta apostoli Pauli chronologice digesta.

Urb. cond.	æra vulg.	Anni Imp. Rom. Tib.	Min. Pauli.	
786	33	19 & 20	1	Paulus convertitur, apostolusque constituitur, Act. IX. 1-18. anno ær. vulg. XXXIII. (§. XXXVIII.) qui est tertius post passionem Jesu Christi, (§. III.) ac <i>Damasci</i> commoratur, Act. IX. 19-22. & anno eodem s sequenti in <i>Arabiam</i> proficiscitur, Gal. I 17. quam profectioem Lucas in Actis brevitatis causa quidem omittit, non vero negat.
789	36	22 & 23	4	<i>Damascum</i> revertitur, l c. Act. IX. 23-25. & compertis insidiis sibi structis, <i>Hierosolyman</i> adit sub initium anni quarti, ex quo conversus est. Gal. I. 18. (§ XXXVI.) Post dies autem XV. Gal. I. 18. a fratribus <i>Cæsaream</i> & <i>Tarsum</i> deducitur. Act. IX 20. Intelligitur autem per <i>Cæsaream</i> non <i>Cæsarea Philippi</i> , sed <i>Cæsarea Stratonis</i> , siquidem <i>Cæsarea</i> nude posita semper <i>Cæsaream Stratonis</i> FF 5 significat,

U. C.	ar. v.	I. R.	M. P.	
		Calig. I-4		significat, & Paulus per Cæsaream Stratonis multo citius, facilius & tutius in Ciliciam duci potuit, quam per Cæsaream Philippi.
790-795	37-42	Claud. 1 & 2	5-10	Peragrat <i>Syriam & Ciliciam</i> , & evangelium Jesu Christi prædicat. Gal. I. 21. 23. A Barnaba quæritur, & Tarfi inventus <i>Antiochiam</i> ducitur, Act. XI. 25. 26. ibique commoratur annum integrum. Act. XI. 26.
796	43	3	II	Cum Barnaba subsidium defert <i>Hierosolymam</i> , & negotio hoc peracto <i>Antiochiam</i> repetit, Act. XI. 30-XII. 1-25. (§. X.) & una cum Barnaba segregatur ad opus, ad quod assumfit eos Spiritus Sanctus. Act. XIII. 1-3.
797-799	44-46	4-6	12-14	Adit <i>Seleuciam, Cyprum, Paphum, Pergam, Antiochiam Pisidiæ, & Iconium, Lystram & Derben</i> , ac circumjacentem regionem. Act. XIII. 3-XIV. 1-20. <i>Derbe</i> revertitur <i>Lystram, Iconium, Antiochiam Pisidiæ</i> , & per <i>Pisidiam, Pamphyliam, Pergam & Attaliam</i> redit <i>Antiochiam Syriæ</i> , ibique commoratur χρόνον ἄκ ολίγον. Act. XIV. 21-28.

Cum

CHRONOLOGICE DIGESTA. 437

U.C.	ær. v.	I.R.	M.P.	
800	47	7	15	Cum Barnaba adit <i>Hierosoly-</i> <i>mam</i> , ubi, post illorum ad- ventum, magnum illud con- cilium habetur. Act. XV. 1. seq. Gal. II. 1. (§. XXVII. XXVIII.) Accepta autem epistola, a concilio scripta, redit <i>Antiochiam</i> , ibique ali- quod tempus commoratur, Act. XV. 22-35. & Petrum re- prehendit. Gal. II. 11. sqq.
801	48	8	16	Sila assumto, <i>Syriam & Cili-</i> <i>ciam</i> peragrat, ac venit <i>Der-</i> <i>ben Lystramque</i> , ubi Timo- theum assumit. Act. XV. 36- XVI. 1-5.
802	49	9	17	Proficiscitur in <i>Phrygiam &</i> <i>Galatiam</i> , ac per <i>Mysiam</i> ve- nit <i>Troadem</i> , & inde transit in <i>Macedoniam</i> , evangelium- que prædicat <i>Philippis</i> . v. 6-f.
803	50	10	18	Profectus per <i>Amphipolin &</i> <i>Apolloniam</i> , venit <i>Thessalo-</i> <i>nicam</i> , ibique per III. sab- bata prædicat. Act. cap. XVII. 1-9. Mittitur <i>Beroe-</i> <i>am</i> , ubi aliquamdiu moratur. v. 10-12. Sila ac Timotheo <i>Beroeae</i> relictis <i>Athenas</i> , & inde sub finem autumnii <i>Co-</i> <i>rinthum</i> abit, ibique com- moratur menses XVIII. Act. XVII. 13. -- XVIII. 1 -- 18. Post reditum Timothei an- no ær. vulg. L. scribit episto- lam

U.C. ær. v. I.R. M.P.

804 51 II 19

lam priorem ad *Thessalonicenses*, & anno sequenti *posterio*rem. Vid *Introd. in L.N.* T. p. 318. & 320. OROSIVS *Hist. L. VII. c. VI.* Anno, inquit, *ejusdem* (Claudii) nono *expulsos per Claudium urbe* *Judeos, Josephus tradit* Relatio hæc in scriptis Josephi, quæ ætatem nostram tulerunt, non prostat, si autem demonstrari posset, Judæos illo anno Roma expulsos esse, liquido inde constaret, Paulum anno ær. vulg. L. prima vice Corinthum venisse. Nam annus nonus Claudii respondet anno ær. vulg. XLIX. & cum Paulus Corinthum venit, Aquilam ibi offendit, de quo Lucas Act. XVIII. 2. refert, quod nuper *προσφάτως* ob edictum Claudii Roma Corinthum venerit

805 52 53 12 13 20 21

806

Cenchrea navigat *Ephesum*, & inde venit *Cæsaream, Hierosolymam, & Antiochiam*, ibique commoratur. Act. XVIII. 18. 19. -- 23. (§. XX. XXVII.) Antiochia relicta adit *Galatiam, Phrygiam, ac probabiliter Bithyniam & Mysiam*, & replet has terras cognitione Jesu Christi. Act. XVIII. 23. XIX. 1. Ve-

U.C.	ær. v.	I.R.	M.P.	
807-	54-	14	22-	<p>Venit <i>Ephesum</i>, ibique commoratur tres annos, Act. XIX. 1 - fin. Act. XX. 31. & anno ultimo f anno ær. vulg. LVII. probabiliter ante festum Paschatos 1 Cor. V. 8. scribit <i>epistolam priorem ad Corinthios</i>. Vid. <i>Introd. in L. N. T.</i> p. 295. Post festum Pentecostes, 1 Cor. XVI. 8. Epheso relicta, adit <i>Macedoniam</i>, Act XX. 1 ibique anno ær. vulg. LVII. scribit <i>epistolam posteriorem ad Corinthios</i>. Vid. <i>Intr. in L. N. T.</i> p. 297. Proficiscitur deinde in <i>Græciam</i>, strictiori sensu dictam, f. propriam & liberam, v. 2. cujus tunc temporis <i>Corinthus</i> celeberrima existit urbs, & ibi exigit mens III. Act XX. 2.</p>
810	57	Ner. 1-3	25	
811	58	4	26	<p><i>Corinthi</i> sub finem hiemis scribit <i>epistolam ad Romanos</i>. Vid. <i>Introd in L. N. T.</i> p. 288. Ex Græcia f. Achaja revertitur in <i>Macedoniam</i>, & <i>Philippis</i> post dies Azymorum abit <i>Troadem</i>, Act. XX. 3-16. ibique probabiliter scribit <i>epistolam ad Galatas</i>. Vid. <i>Introd. in L. N. T.</i> p. 301. & 302. <i>Mileri</i> presbyteros <i>Ephesinos</i> instruit, v. 17 seqq. & inde venit <i>Tyrum</i>, <i>Ptolemaidam</i>,</p>

U.C.	æt. v.	I.R.	M. P.	
				<i>maidam, Caesaream & Hierosolymam, Act. XXI. 1 -- 6. ibique in vincula conjicitur. v. 27. seqq. (§. XIX.)</i>
813	60	6	28	Romam captivus mittitur, & naufragio facto, in insulam Melitam ejicitur. Actor. XXVII. 1. -- XXVIII. 1. sqq. (§. XVII. XVIII.)
814 815	61 62	7 8	29 30	Venit Romam, & ibi liberam habet custodiam per biennium, Act. XXVIII. 16. - fin. (§. XXXIX. XL.) & circa finem suae captivitatis scribit epistolas ad <i>Colossenses, Philemonem & Philippenses. V. Int. in L. N. T. p. 314. 331. 311.</i>
816	63	9	31	In libertatem restitutus Roma exit, & in Italia propriè dicta degens, scribit ep. ad <i>Hebraeos. Vid. Introd. in L. N. T. p. 338.</i> Postea probabiliter in <i>Cretam</i> navigat, & ibi <i>Titum</i> relinquit. Tit. 1. 5.
817	64	10	32	<i>Judeam & Asiam</i> adit, ac <i>Colossenses</i> invisit, nam <i>Philemoni</i> in epistola, ad illum data, v. 22. promiserat, quod <i>Colossis</i> commoraturus sit, ac hoc tempore probabiliter scribit. ep. ad <i>Titum.</i> Vide <i>Introd. in L. N. T. p. 329.</i>
818	65	11	33	In <i>Macedoniam</i> profecturus <i>Timotheum</i> Ephesi relinquit, 1 Tim. 1. 3. & apud <i>Philippenses</i>

CHRONOLOGICE DIGESTA. 441

U. C.	zt. v.	I. R.	M. P.	
				<i>lippenses</i> agens, Phil. I. 25. 26. II. 24. probabili ter scribit ep. priorem ad <i>Timotheum</i> . Vid. <i>Introd. in L. N. T.</i> p. 323. ac <i>Nicopoli</i> hiemem agit. Tit. III. 12.
819	66	12	34	Adit <i>Troadem</i> , 2 Tim. IV. 13. <i>Ephesum</i> , 1 Tim. III. 14. <i>Milerum</i> , 2 Tim. IV. 20. & <i>Corinthum</i> , ibi Sive, ut putat PEARSONIVS in <i>Annal. Pauli</i> p. 23. <i>Nicopoli</i> petit <i>Corinthum</i> . -- 2 Tim. IV. 20. Venit <i>Troadem</i> . -- 2 Tim. IV. 13. Venit <i>Miletum</i> . -- 2 Tim. IV. 20.
820	67	13	35	Petit <i>Romam</i> , ibique iterum in vincula conjicitur, ac in illis scribit ep. ad <i>Ephesios</i> & posteriorem ad <i>Timotheum</i> . Vid. <i>Introd. in L. N. T.</i> p. 306. 325. & 326.
821	68	14		Capite plectitur <i>Romæ</i> . (§. XLI.)

Pag. 38. lin. 13. leg. XVI. pro XVII. lin. 15. leg. anni integri 479. lin. 23. leg. XVI. p. 40. lin. 4. a fin. leg. XVI. p. 41. lin. 1. leg. 2579. pro 3579. & sic porro. p. 42. lin. 2. del. f. migratio Jacobi in Ægyptum.



EDITIONES LIBRORVM,
qui in hac Introductione sæpius allegantur.

- JVSTINI opera omnia græc. & lat. Colon. 1686.
IRENÆI opera græc. & latin. edita à J. E. Grabe. Oxon. 1702.
CLEMENTIS *Alexandrini* opera omnia græc. & lat. Paris. 1629.
TERTVLLIANI opera omnia ex edit. Jacobi Pamelii. Franck. 1597.
ORIGENIS opera. Basil. 1571.
EVSEBII Pamphylîi Thesaurus Temporum ex edit. Jos. Just. Scalligeri. Amstel. 1658.
Ejusdem Historia Ecclesiastica græc. & lat. edit. Henrici Valefii. Amstel. 1695.
ATHANASII opera omnia. Paris. 1627.
CYRILLI Catech. græc. & lat. Paris. 1631.
HILARII Lucubrationes. Basil. 1570.
EPIPHANII opera omnia græc. & lat. ex ed. Dionysii Petavii. Col. 1682.
GREGORII *Naxianzeni* opera græc. & lat. Lips. 1680.
AMPHILOCHII opera omnia græc. & lat. Par. 1644.
AMBROSII opera omnia. Basil. 1567.
HIERONYMI opera omnia. Francof. 1684.
AVGVSTINI opera omnia. Bas. 1569.
THEODORETI opera omnia. Colon. 1567.
THEOPHYLACTI opera. Basil. 1554.
NICEPHORI Callisti opera græc. & lat. Par. 1630.
JOSEPHI opera græc. & lat. Col. 1691.
XENOPHONTIS opera ex edit. Henr. Stephani.
HERODOTI *Halicarnassei* Historiarum L. IX. ed. Gothofredi Jungermanni. Gen. 1618.
DIODORI *Siculi* Bibliothecæ Historicæ Libri XV. ex edit. Laurent. Rhodmani. Han. 1604.
DIONIS *Cassii* Histor. Roman. ex edit. Gvil. Xylandri. 1592.
CASSIODORI opera ex edit. Garetii. Rotomagi 1679.
ZONARÆ Annales ex edit. Oporini. Bas. 1557.
STRABONIS Rerum Geographicarum L. XVII. græc. & lat. Amst. 1707.
PTOLOMÆI Geogr. L. VIII. 1584.
Chronicon Alexandrinum græc. & lat. edit. Matthæi Raderi. Monachii. 1615. 4.
PLINII Natur. Hist. L. XXXVII. in usum Delphini. Paris. 1685. 4.
Historia Christiana veterum Patrum. Par. 1685.
FLORI opera ed. J. G. Grævii. Traj. Bat. 1680.
TACITI Annales edit. J. F. Gronovii. Amst. 1672. 8.
HVETII Demonstratio Evangelica in usum Delphini. Amst. 1680. 8.



